

P. CHRYSOSTOMI HANTHALER,

*Monachi Cisterciensis in Campo Liliorum Austr. infer. nunc Residentiae
Marianae, Kalaström in Hungaria, Superioris,*

EXERCITATIONES

FACILES

DE

NUMIS VETERVM

PRO TYRONIBVS:

IN QVIBVS

LACONICA QVIRITVM SAPIENTIA,
ET REI NUMARIAE VETERIS RVDIMENTA
FACILI METHODO PER EXEMPLA PANDVNTVR, OPE
NYMORVM COMPLYRIVM PICTORVM, ET PER
DIALOGOS FAMILIARITER EXPOSITORVM.

P A R S II.

EXHIBENS

AVERSAS NYMORVM,

ET IN EISDEM

GLORIAM AVGVSTORVM

POLITICAM

EXPENDENS.

VINDOBONAE & PRAGAE,

TYPIS IOANNIS THOMAE TRATTNER,

CAES. REG. MAIEST. AVLAE TYPOGR. ET BIBLIOPOLAE.

Anno MDCCLVI.

CHRISTOPHER HAYWARD

Author of "The History of the United States from 1789 to 1845"

EXERCISES

FOR

YOUNG MEN

OF THE

ARMY

AND NAVY



BY

CHRISTOPHER HAYWARD

Author of

THE HISTORY OF THE UNITED STATES

FROM 1789 TO 1845

IN TWO VOLUMES

NEW YORK: PUBLISHED BY G. P. PUTNAM'S SONS, 25 NASSAU ST. 1854.



DIALOGUS I.

Quibus e partibus GLORIA AUGUSTORUM POLI-
TICA cohaereat ?

INTERLOCUTORES

TULLIUS docens, PUBLIUS discens.

PUBLIUS.



Ccedimus tandem, propitio Numine, in hac PAR-
TE II. *Exercitationum* nostrarum *Facilium de Nu-
mis Veterum* ad elegantissimam, ut arbitror, Rei
Numariæ Veteris partem, Honorande Tulli, dum
Aversas Numorum Augustorum, infinita varietate
discretas, tanquam in orchestra confidentes, con-
templari, & vestigare aggredimur: ubi mille re-
rum imagines tam grato compendio jugiter sibi in scenam succedunt, ut
nullum ego Theatrum tantam oculis, tantamque animo jucunditatem
obiicere posse existimem. Ita quod sentiam, efficit hætenus apud me
vel solus pauculorum Numorum meorum situs, quem eisdem ad leges,
a te mihi præscriptas, meis in forulis dedi: quid erit, si te Pharum
mihi jam denuo lucidissimam præbueris, cujus lumine universa *Laconi-
cæ Quiritum Sapientie* mysteria, hic undique abdita, penitus introspe-
xero? Igitur quæso te, Tulli, hanc mihi lucem illico sine ambagibus
accende, memor vulgatæ paræmiæ: *Bis dat, qui cito dat.* TULL.
Hoc vero quid exordii est, Optime Publi? febricula ardes? certe te
Pars II. A sitis

fitis vehementissima urget. Placet hic ardor discendi : sed fines duntaxat, ut Dialogorum nostrorum in hac Parte II. Argumentum, *Gloriam* nimirum *Augustorum Politicam*, prævie cum definiam, tum partiar tibi : ne Ordo, rerum omnium anima, profectibus tuis deficiat.

II. *PUB.* Sapienter admodum monenti merito cum honore affurgo. *Politicen* ergo præ omnibus luculentius mihi describe. *TULL.* Excursu hic opus non est : verbulum sufficit nobis. *Politica*, si vel solum nominis etymon græcum consulamus, est *Ars*, quæ multos prudenter utiliterque regere docet : hominibus certe, sociali quopiam jure illigatis, unice necessaria. Residet hæc *Ars* penes illos, qui magistratum tenent : qui si a Populo geritur, *Democratia* consurgit : si ab Optimatibus, *Aristocratia* : si ab unico soloque Principe, *Monarchiam* tenere is dicitur. Quænam ex his perfectior regendi forma, quænam felicior, disceptent alii. Tu noveris, quod sufficit, *Quirites* a *Monarchia* sub *Regibus* inchoantes, his exactis, jam per *Consules* *Aristocratice*, jam per *Tribunos* subinde *Democratice* gubernatos, rursum tandem sub *Caesaribus* ad *Imperium* *Monarchicum* recidisse. *Gloriam* itaque *Augustorum Politicam* in *Numis* explorare cupientes, *Artes* bene gubernandi, a quibus iidem *Augusti* in his publicis *Gloriæ* æternæ tabulis commendari se voluere, *Parti* nostræ *Secundæ* *Argumenti* loco deligimus. Neque vero *Artes* solum, sed & *Artefacta* : utiliter nimirum, salubriter, atque magnifice ad *Publicæ* *Rei* emolumentum, domi potissimum gesta. Domi, inquam, & in toga : quas enim sago amicti, sive in acie, sive in castris, lauros ac palmas messuere : quas deinde fuso hostium sanguine *Pacis* oleas plantarunt, *Parti* tertiæ servabimus : uti & religiose ab eis *Deorum* causa, & in *Templo* gesta in *Partem* quartam differimus.

III. *PUB.* Perspicio te, *Venerande* *Tulli*, fatisque jam novi, qua pulcherrima luce hic illustrare me velis : ut videlicet, dum *Numorum* tam ingens & multiplex gratia oculos mihi suavissime recreat, tu animum meum utilibus præclari *Regiminis* documentis per spirantia quodammo virtutum exempla utilissime pascas, & imbuas. Felicem me discipulum, te tam fideli *Magistro*. *TULL.* Anne nimium de te pariter, meque præsumis ? Neque tu coronis es natus, neque mihi his in *Dialogis*, quos de *Numis* instituimus, animo sedet, *Principem* te formare. *PUB.* Frustra in me ambitum reprehendis, qui nunquam hæcenus *Caesarem* somniavi. Tam multa me dulcis somni tenet voluptas, ut profecto

fecto præ ea imperium penitus nolim. Novi siquidem, quid ille ce-
cinerit :

Non licet integram noctem dormire regentem
Imperio populos, & agentem pectore curas.

Sed, ut jocos mittamus, neque ulla, quod arbitror, Principis virtus
ita sola est Principis, ut privati esse non possit : neque adeo privatus
est quispiam, ut, dummodo sibi ex virtute moderetur, Principis con-
fors esse non queat. Quas ergo Numi nostri laudabunt Augustorum virtutes
erudito emblemate, tu doctis Commentariis expendes, nonne & mihi,
ut rite sensus, artusque & affectus gubernem, disciplinæ esse velis ?
TULL. Volo, ne dubita, rideoque in sinum, immo præ gaudio gestio,
quod liberali ingenio tuo magistrum tam eximie prævolas. Beatum do-
cendi compendium, ubi perspicax docilisque discipulus disciplinæ ar-
dua omnia animo suo sponte præfagit.

Reminisci autem te velim, quod jam superioribus Partis I. Dialo- IV.
gis ex Doctiss. *Joberto* te monui, *Aversas* Numorum adulationem nullis
contentam limitibus ostentare, si *Catoniano* quidem supercilio, sensu-
que nimis severo, ea, quæ ibi, & de quibus prædicentur, conferre
sefe inter quis velit. Multa profecto virtutum clarissimarum præconia,
earumque imagines speciosissimæ, in Principes, de Superis, deque Re-
publica pessime meritos, etiam Senatus Consulto ibidem jactari videbi-
mus. Sed plane interim persuasum est Doctis, plurima in Numis, ta-
citæ cujusdam philosophiæ causa, descripta esse, atque expressa : non,
quia sic meritus est Principum quilibet, sed ut legeret tandem, oculis-
que in imagine usurparet, quæ Principem deceant : cum auribus suis eadem
ingeri animo, sive superbo, sive crudeli, sive malevolo, nunquam tulisset. Om-
nino tibi hic audiendus Ill. *Spanhemius*, ita gravissime differens. „ Haud
„ diffiteri licet, ipsas Principum Artes, Officia, Vitæ, ad salutis pu-
„ blicæ, & privatæ Laudis normam feliciter instituendæ Præcepta,
„ in priscis Romanorum Numis præclare omnino & luculenter con-
„ spici. Hoc enim abunde tot præstantissimarum Virtutum effigies,
„ passim in iis traditæ ostendunt, aut Publicæ etiam Felicitatis,
„ quam iidem celebrant, commemoratio : quæ nihil aliud, quam pi-
„ ctura quædam loquens - - veram optimi status, & vitæ laudabiliter
„ actæ imaginem continuo ante oculos ponit. Unde illas ipsas re-

Spanhem.
Tom. I. p.
148.

*Id ibid. p.
151. seqq.*

„ gnandi Artes, unâ cum sacris Cæsarum vultibus, in iis passim haud
 „ temere expressas intuemur : ut individuum quamdam illarum cum su-
 „ prema Potestate societatem iidem religiose fovendam sibi, & retinen-
 „ dam scirent. „ Multis deinde veterum Scriptorum locis interjectis,
 „ quibus hæc affatim confirmat, ita pergit. „ Non diffiteor equidem,
 „ destituisse non semel hæc auguria exitialem haud unius Neronis indolem
 „ aut infaustam plurium Faustinarum libidinem. Hinc non continuo
 „ tamen arguendus Amplissimus Ordo (Senatus nimirum ille sacer apud
 „ Quirites) penes quem, amissa etiâ Republica, signandi æris facul-
 „ tas mansit, qui spes suas & vota monumentis id genus consignabat :
 „ inmo qui his veluti tabulis, quum aliter per illorum temporum im-
 „ manitatem non liceret, Principes, & eorum Conjuges, OFFICII SUI,
 „ SUB COMMENDATIONIS SPECIE, frequenter admonere non dubi-
 „ tabat. - - - Spes nempe ei erat nonnulla, posse, vi BLANDÆ
 „ hujus ARTIS, illam Caligularum, quam Suetonius hic vocat, *aditæ et placæ*
 „ expugnari : & fore aliquando, ut vel verecundia immeritæ laudis,
 „ vel desiderio pulcherrimi præmii, vel reverentia posterorum tange-
 „ rentur.

*Sueton. in
Calig. c.
29.*

V.

PUB. Digna hæc monita Illustrissimo calamo. Quoniam vero
 character unius fere cujusque Augusti e brevibus Vitæ singulorum com-
 pendiiis, Parte prima a te mihi suggestis, animo meo graviter inhæ-
 ret : nullo inde negotio discernere mihi licebit, quibusnam Augustis
 sua e merito reddantur præconia, quibus contra non nisi disciplinæ
 causa laudes in Numis dicantur. *TULL.* Bene hoc pacto statues,
 modo advertere præterea minime negligas, quod rursus *Ill. Spanhemius*
diligentissime observât, neque deterioribus Dominis defuisse subinde sua, vel
Belli, vel Pacis Decora, digna omnino, ut hac publica Civium gratulatione
commendarentur. Id quoque tibi persuadere insuper debes, non solum
 Principum, quibus tunc Orbis Romanus parebat, quorumque vultibus hi
 illi Numi signati sunt, habitam esse a Senatu rationem, sed eorum pari-
 ter, qui lapsu temporum succederent : ut videlicet, quod *Valerius*
Maximus notat, Antecessorum *Virtutes posteri non solum legerent, sed etiam*
imitarentur. Plâne affirmare licet, eundem ob finem sacrum illum Ro-
 mæ Senatum Numos tot laudibus, quas Principes mereri debuerant, op-
 plevisse, propter quem variis Augustis solemnes a præstantissimis Ora-
 toribus Panegyricos fieri, quibus eis grates publicæ agerentur, decre-
 vit. Quorsum vero illæ laudes ? Fatetur id *Plinius*, excusans se
 Principi suo *Trajano*, cur ei Panegyricum diceret, dum inter cætera
 inquit.

*Valer.
Max. L
V. c. 8.*

infit. Sed parendum est Senatus Consulto, quo ex *UTILITATE PUBLICA* Plin. Panegyrici. IV. placuit, ut Consulis voce, sub titulo *Gratiarum agendarum*, *BONI PRINCIPES, QUÆ FACERENT, RECOGNOSCERENT, MALI, QUÆ FACERE DEBERENT.* Ecce luculentum tacitæ philosophiæ, uti in Panegyricis, ita & in Numis testimonium: quo præmunitus, ab illorum tibi inconsulto præjudicio cavebis, qui naribus nimium emunctis foetere sibi undique numos stomachantur: quod nihil illi, præter blasphemata idololatriæ deliria, vel impudentissima laudum inanum mendacia redhibere consueverint. *PUB.* Probe hæc singula teneo: nec ququam Numorum delictum animo meo aliquando eximere poterit. Sed nonne tandem tibi placet, siquidem id proposueras, de Ordine, quem nostri deinceps Dialogi in expendenda *Politica Augustorum Gloria*, servabunt, nonnulla saltem jam apud me grato compendio prælibare? *TULL.* Sitis iterum, Publi charissime, ac properas vehementer, Numosque ipsos sumere in manus infatiabili cupidine gestis. Placet, quod petis, immo unum est, quod hodierno Dialogo nostro supersit: nonnullam tamen morulam poscit.

Tria sunt potissimum Capita *Gloriæ Augustorum Politicæ*. **I.** Enim **VI.** vel nascitur illa ex *Dignitate Imperii*, quod gerunt, ejusque aut Jam asserta ex *Felicitate*, vel *Spe* saltem asserendæ firmata: e *Virtutibus* præterea, quibus idem gubernant, & ornant. **II.** Vel ex *Domus suæ Fortuna*, & *Filiis* potissimum, qui succedent, mutuaque Patrum, Natorumque, sed & Provinciarum eis parentium *Concordia*. **III.** Vel e *Beneficiis* in Rempublicam varie, frequenterque collatis. Primum horum Caputum eos ante omnia sibi vendicat Numos, qui *Monarchici Imperii* symbola redhibent: cujusmodi tibi Prima in Tabella octo depinxi, inopiam tuam, quod hætenus solitus eram, imaginibus nonnullis aliunde petitis levando. Succedunt Numi totidem, in quibus *Felicitas Regiminis* alio semper & alio habitu prodit. Quoniam vero pondus haud modicum addit Felicitati, si non modo præsens illa sit, verum etiam ita stabilita, ut secure in ea conquirere postea rariter liceat: duobus Numis *Securitas* exhibetur. Quos alii bini, *Spei* typo illustres excipiunt: siquidem absens quoque Felicitas, ut propediem redeat, votis omnibus exposcitur. Ita Tabula prima concluditur: sequens vero tota, viginti Numis, omne genus *Augustæ virtutis* ob oculos ponit, & quomodo Imperium domi felix reddatur, atque beatum, multimoda imaginum amœnitate depingit.

VII.

Caput alterum tertiam sibi Tabellam vendicat : cujus Numi duodecim priores Patribus Augustis Filios suos, sive natos, sive adoptatos, cum elogio *Principis Juventutis*, hujusque summæ dignitatis variis gloriosis imaginibus gratulantur. Quoniam vero hos inter, quantum id ætas permisit, consortium plerumque erat Potestatis, plurimum sane Reipublicæ intererat, tantos Collegas nullo discordiæ fomite, civibus utique perniciosissimo, fuisse sese inter divisos : sed & Matribus eorum, sive Conjugibus ambitiosas abfuisse similitates : provincias præterea concordia obedientia paruisse. Quare octo residui Tabulæ hujus Numi vario *Concordiæ* schemate exornantur. Tertium tandem *Gloriæ* Augustorum Politicæ Caput tribus propriè Tabellis describi oportuit : siquidem & præstantius nihil erat, & gratius, quam *Beneficia* in Rempublicam collata. Quarta proinde Tabella integra viginti Numis, quibus onerata est, *Liberalitatem* Augustorum, *Annonam* procuratam, *Congiaria* data, *Largitiones* factas, & laudat, & pulcherrimis imaginibus exhibet. Superaddit Tabella quinta duos alios Numos, qui *Alimenta* parvulis præbita collaudant. Succedunt Numi sex, ubi *Vestigalia*, *Debita*, atque *Onera* publica remissa prædicantur. Decem aliis Numis *Ludorum* variorum, in populi gratiam summa cum munificentia exhibitorum, spectacula exhibentur. Ortam vero abinde *Exitiâ* publicam postremi duo hujus Tabulæ Numi ob oculos ponunt. Sex priores Tabulæ sextæ Numi pulcherrima sistunt monumenta *Operum publicorum*, puta, Viarum munitarum, Portuum, Aquæ ductuum. Qui sequuntur duo Numi, *Libertatem*, atque *Monetam restitutam* eximie jactant. Chorum denique integre claudunt Numi octo, elogiis *Augustarum* opplati, earumque Majestatem, Pulchritudinem, Pudicitiam, Fœcunditatem, Concordiam conjugalem, Pietatem demum in Liberos venustissimis typis commendant.

VIII.

In his porro omnibus Tabulis enumerati hætenus obiter Numi eo ordine collocari debuerant, quam argumenti paritas, atque imaginum æqualitas poposcit. Unde vitio deputare non debes, posteriores Augustos prioribus sæpe proponi, immo filios patribus antecire, quin & jugi vicissitudine unius etiam ejusdemque Cæsaris plures Numos, in eadem quoque Tabella, se juxta tamen collocatos non esse. Quoties videlicet Quæstio aliqua pertractanda est, prima ponitur thesis : tum adferuntur, quæ ei stabiliendæ, firmandæque subserviunt. Ita & in præsentî numos pertractandi instituto, illa schemata, quæ faciliora erant, ac lem-mate simplici, præmittenda erant difficilioribus, magisque remotæ indaginis typis : quandoquidem & naturæ methodus est, ab imperfectis sen-

fenfim ad perfecta progrediendi. Ecce tibi, Publi optime, præguftum univerfæ Partis hujus fecundæ compendio ingeftum. Quid tibi videtur? *PUB.* Bellus tu mihi Medicus es, Tulli Venerande, qui fitim meam ad Numos tecum veftigandos identidem vellicas, ipfe porro, ut potes, vehementiffime accendis. Accendis, inquam, dum ejusmodi Numos mihi fpondes in Tabellis tuis depictos, cujusmodi plurimos facile, dum oculos meos in paupere arcula mea circumfero, penitus mihi deeffe confpicio. Tu ergo beneficentia tua me divitem facis Numorum copia: vires interim meas univerfas abfumis, quibus gratum tibi animum meum redhibere decreveram. Sed vince beneficiis: nemo te gloriofius, quam merita tua coronant.

TULL. Infuper & hanc tibi fpem facio, tametsi paucos depinxe- IX.
rim Numos, frequenter me tamen multo plurium memoriam facturum, quibus ea, quæ in pictis intueberis, five clariora, five certa magis tibi reddentur. Nescit enim, qui Numos complures, immo plurimos non videt, eosque raros & exquisitos, Veteris Rei Numariæ amplitudinem fere immensam, incomparabile decus & pretium, ufumque utiliffimum una & jucundiffimum. Esto, te fingulis Numis, quos ego hic tibi depingo, immo & commemoro tantum, Jupiter non lævus bearet, pauper tamen remaneres & inops. Stilla funt minima Numuli viginti fupra centum, quibus hic, ut fitim tuam vel modice reftinguam, Politicam Auguftorum Gloriam exhibeo. Infinitos enim Numos Gazophylacia Regia, aliaque egregie inftucta cimelia recondunt, e re noftra mirum in modum facturos: fed delicias illas Dominis fuis non invidentes, fruamur bonis, quæ apud nos funt, hisque erudite pascamur. Non femper *beati poffidentes*: sæpe numero *Copia inopem facit*. Non minor deinde eft Virtus, pauculis e numis egregie tamen fapere, quam domo paupere natum, ad alta tandem honorum fubfellia propria virtute eniti. *PUB.* Parce, obfecro, Venerande Tulli, atque indulge, quod ex animi mei fententia edico. Amo hodie facundiam tuam, & odi. Inexplebili namque ad Politicam Auguftorum Gloriam ipfo opere tecum penitus rimandam cupidine succenfus, quantumvis utiliffima, multumque egregia præfatus fis, voluiffem tamen, ut ipsis a Numis exorfus effes, idque faucibus anhelis avebam. Sed cum hodie facturus non fis, Vale: quam vero citiffime redi.

DIALOGUS II.

De

Numis, qui MONARCHICI IMPERII Symbola
redhibent.

TULLIUS.

I. **D**omum quisquis meditatur, fundamentum præ omnibus eidem substruere debet, tanta lapidum firmitate, quanta integræ moli perpetuo sustinendæ sufficere queat. Nos pariter, *Gloriam Augustorum Politicam* aggredi, & expendere cupientes, *Monarchici Imperii Symbola* cæteris omnibus præmittere, ut regia deinde via iter cœptum prosequi liceat, omnino oportet. Omnis namque *Gloriæ Politicæ*, qua effulsere Augusti, fundamentum ac basis fuit imperium: quod nisi consecuti essent, neque Principes forent, neque Augusti. Non penes ipsos Potestas regendi Populos stetit: Virtutes eorum campum, universo in mundo collucendi, noctæ non essent: Beneficiis deinde suis mereri de universâ republica nequaquam potuissent. Raro itaque Principem videas sua in imagine nostris quoque temporibus sisti, cui non aliqua saltem, nisi omnia, supremæ suæ Potestatis Insignia jungantur, uti sunt: Corona, Sceptrum, Gladius, maxime vero Pomum imperii, sive Orbiculus, Regna illa ac Provincias denotans, quibus Princeps supremum jus dicere Lege Regia solet. Fiunt hæc omnia *Moribus Antiquis*. Vetusissimis namque temporibus, *Affricæ, Persicæ, Græcæ Monarchiæ*, Character Regius, gestique Imperii nota erat *Fascia*, Principum circumligata capitibus, non obscura interpres summæ Potestatis, subjectos sibi populos *lege coercendi*. Romani vero Principes, in quorum capite Populus, Libertatis æmulus, Diademata execratus est, Imperii sui symbolum *Orbem* elegere, & sane multum apposite.

II. Primum namque *Orbis* sphaerica sua imagine Terram refert, in Orbem a Creatore coactam, omniumque regnorum atque provinciarum immane & vastissimum gremium. Quemadmodum ergo tropus non incongruus est, si quis de provincia loquens, Orbem v. c. Gallicum, Britannicum dixe-

dixerit: ita pariter æquum est, regna quælibet in manibus Principum, Orbis, five Sphæræ, Globique figura exprimere. Deinde, cum DEUS T. O. M. a quo omnis potestas, Majestatem suam quodammodo cum Principe dividat, eumque vicaria sui potestate moderari populis velit: non utique indignum est, quia DEO Orbem integrum supponimus, quaqua late patet, universum, Principi, Divinæ potestatis consorti, Orbiculum vel consignare in manibus, vel substratum ad pedes adsignare. Postremo tandem figura sphærica, in cæteris omnibus perfectissima, nonne summi Imperii fastigium, quod cæteris omnibus magistratibus altius atque excellentius est, belle, nonque incommode demonstrat?

Ne porro inanis gloriæ sature, ultra hominem imperii sui altitudine III. superbiat Princeps, provide factum est a sapientibus prisce ætatis, præter Orbem, Imperii symbolo Remum insuper, seu Gubernaculum navale adjectum esse: quod plenum laboris est opus, & æternas vigilias postulat. Principem quippe non facit, per mediam freti ludentis malaciam, dumque Zephyri lenes placide volitantibus carbasis mille basia figunt, tranquillo navigio, dulcia inter somnia provehi. Exerendæ sunt manus, in excubiis standum, prendendum gubernaculum, observandi venti, luctandum cum Euris & Notis, secandi fluctus, transeundi turbines, ferenda fulmina, mille inter mortis imagines servanda est reipublicæ navis, & anchoræ immota statione figendæ.

PUB. Eleganter jam Numis prioribus Tabulæ tuæ primæ præ- IV. fatus es, quos ambos ære medio teneo. Primus Tiberii est, ejusdem Tab. I. capite laureato in *Adversa* insignis, cum hac priori titalorum parte: Num. I. Tiberius. CAESAR. DIVI. AVG. u. s. i. Filius. AVGVSTVS. IMP. erator. VIII. vum. In *Aversa* sequitur: PONTIF. ex. MAX. imus. TR. ibunitia. POT. estate. XXXIIX. vum. Mediam aream implet orbis grandior, fascia transversa notatus: incubat ei recto situ grandis remus, seu gubernaculum: pone literæ: S. enatus. C. onsulato. Numus alter *Cæsari Augusto* resti- Tab. I. tutus fuit a *Nerva* Imperatore, i. e. ad renovandam ejusdem memoriam Num. II. recus: forte vel ideo maxime, quia monarchiam Romanam, in qua successerat *Nerva*, a *Julio Cæsare* fundari cœptam, *Cæsar Augustus* integram demum ac firmam constituit. *Adversa* ergo nitet capite *Augusti* coronato ac radiis fulgente, cum elogio: DIVVS AVGVSTVS PATER. Corona quippe radians, Divique præconium vita sanctis Principibus propria erat: donec ambitio vivorum utrumque sibi arripuit. *Aversa* Orbem denuo, cum incubante sibi gubernaculo exhibet, situs tamen remi obliquus est: Pars. II. B Orbis

Orbis præterea gemina fascia crucis in modum illigatus. Circum lego: IMP.erator. NERVA. CAESAR. AVG.ustus. REST.uit. Infra litera : S. C.

V. TULL. Edic jam, Optime Publi, Symbola hæc, nullo penitus lemmate exposita, quo sensu accepiffes? vago nimirum & perplexo. Quem ut tanto constantius figam deinceps, geminos alios Numos, quorum neutrum tu habes, aliunde tibi hic advoco. Uterque clarissimus testis est, sub Orbis rotundi symbolo Potestatem Principis supremam in subjectas sibi provincias belle adumbratam esse. Priorem ex Numo aureo, eoque æris medii magnitudinem prope æquante, utraque sui facie pingi quoque curavit Ill. Spanhemius. Refert is in Antica, seu parte anteriori, Caput nudum Augusti, & hæc elogia: AVGVSTO. DIVI. Filio.

Spanhem.
Tom. II.
p. 213.

Tab. I.
Num. III.

COS.uli. XI.mum. TR.ibun. POT.estate. IL.dum. IMP.eratori. VIII.vum. Retro deinde in Postica nihil vides, præter tres orbiculos, quorum duo juxta se humi recubant, tertius utrique superimponitur. Uni inscriptum: ASL.a: alteri. AFR.ica: tertio: EVR.opa: quæ solæ tum Orbis partes veteribus cognitæ, Victori Romano, Augusti potissimum ætate, maxima certe ex parte paruerunt. Subtus legas: Senatus. P.opulus. Q.ue. R.omanus: per gyrum vero: M.arcus. COCCEIVS. M.arci. Filius. NERVA. IIIVIR. i. e. Triumvir. Votivus, hic Numus est, Augusti honoribus a Senatu Populoque gratitudinis ergo dicatus, quod, cum summam rerum, nemine prohibere valente, per universum Imperium ipse teneret, ultro tamen Provincias se inter, Senatumque, ac Populum divisisset, sibi a se servatas per Legatos suos administrans, cæteras, Senatu decernente, Proconsulibus, vel Proprætoribus regendas relinquens. Nunquid vero hic tibi Numus ad oculum demonstrat, Orbiculi symbolo, provincias, regna, imperium designari? Alterum medii æris fide Cl. Patini posteriori sui parte, quam & ille solam exhibet, tibi depinxi. Græcus is est, atque in Adversa vultum referens Antonini Pii. Quam porro hic vides Aversam, habet Aquilam, quæ Orbi medio insistens, nostro lauream coronam Cæsari defert, apposita ad latus dextrum litera græca I. Urbis forsitan, quæ hunc cuderat numum, indice: sed quæ ne ipsi quidem Patino cognita fuit. Aquilam alitem Cæsarum fuisse, æque ut Jovis, nemo ambigit: neque volucrum rex rectius aliquid præ Principe designat. Quid ergo sit, Aquilam in hoc numo Orbi insistere, nisi Orbem Cæsari subjectum manifesto emblemate profiteri?

Patin.
Imp.
p. 183.

Tab. I.
Num. IV.

VI.

Unde non est, quod Isidoro referenti diffiteamur: PILAM in signo constituisse fertur AVGVSTVS, propter nationes, sibi IN CVNCTO ORBE subje-

subjectas, ut magis figuram ORBIS ostenderet. Pilam hic *Isidorus* quasi *Isidor. Origin.* synonyme sumit pro Orbe, uti & alii sæpe *Globum* dicunt: tamen veterum *pila* ludo nobilium juvenum serviit, *Globus* certe erat figura militum, dum aciem instruerent. Præibat tamen *Augusto* Principi suo facer ipse *Senatus*, qui, *Dionis* quidem testimonio, cum eidem universam se rempublicam subiicere, liquidissimo pandere testimonio vellet statuam suam, *Orbiterrarum* insidentem, ex ære dedicavit. Non infrequens deinde est in *Numis*, cujusmodi etiam tibi non desunt, si *Aurelianos*, *Diocletianos*, *Maxentios* tuos exquisieris, aut *Deorum* aliquem, aut *Providentiam* *Deorum*, aut *Roman* spoliis hostium insidentem, accedenti ad se Principi, *Orbe* porrecto, Imperium consignare. Quid, quod observante dudum *Cl. Morellio*, apud *Mediobarbam* Numi exhibeantur *Didii* *Juliani*, *Caracallæ*, & *Elagabali*, in quibus ipsos Imperatores stantes videas, globumque gestantes, cum lenitate, *Orbis* symbolum clarissime exponente, nimirum: RECTOR ORBS. Ut mittam laudatas ab *ill. Spanhemio* epigraphes in *Numis Aureliæ*, *Gallieni*, & *Valeriani* patris: RESTITVTOR ORBIS: SERVATOR ORBIS: ac græcam præterea tantum non blasphemam inscriptionem in *Namo Neronis Ægyptiaco*: ΤΩ ΣΩΤΗΡΙ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ. SERVATORI ORBIS. Nempe non sefellit *Maniliam* Musa sua, de Principe canentem:

L. XVIII.

c. 3.

Dio Cocce.

Libr.

XLIII.

p. 220.

Morell.

Specimin.

u. XIII. in

Gotb. Num

p. 446.

Spanhem.

unde sup. a

p. 626. Et

prius p.

500.

Ponendusque sua totus sub Imagine MVNDVS.
Et alibi: *Manil. L. I.*
v. 121.

Qua regit Augustis parentem legibus ORBEM. *Id. ibid.*
v. 8.

Etenim & nostris Imperii Romano-Germanici Monarchis, dum purpuram atque diadema capeffunt, cætera inter regalia, quod ajunt, aureum illud *Pomum* ab uno Electorum contraditur, quod *S. Henrico II. Claudio Benedictus* Papa VIII. dono dederat, cruce superimposita consecratum, simulque dicitur recipienti Cæsari: Accipite ORBEM SPHÆRICUM, & omnes; terræ nationes Imperio subicite. Quem in ritum, Aurea Bulla decretum, rythmica ævi sui simplicitate *Godefridum Viterbensem* olim ita cecinisse, & commentatum esse percensent: *Godefr. Viterb. in Pantheo.*

Aureus ille *Globus Pomum*, vel *Palla* vocatur:
Unde figuratum MVNDVM gestare putatur.

Satis jam, ut opinor, Publi suavissime, de Orbe, toties in expositis haecenus numis, sed & deinceps quoque exponendis, conspicuo eruditus es. Quod de *Gubernaculo* superest, sequentem post numum æque in meridie apud te ponam.

VII.

PUB. Hunc, qui sequitur, numum, sola hic Aversa depictum, jam antehac utraque sui facie mihi expresseras in *Exercit. Proem. Tab. IV. n. 5.* ibidemque exposueras *Dial. XV. n. 1. seqq.* Sed repetere eundem tibi hic libuit, quod illustri hac tabella *Julio Cæsari*, cujus caput laureatum cum elogio *Dictatoris Perpetui* exhibet *Adversa*, mox Imperium adepti, *Luc. Æmilius Buca* Triumvir Monetalis, junctim unaque fidelia, bona omnia beati fortunatique regiminis advovere voluerit. *Orbem* namque fasciis illigatum depingens, Potestatem ei supremam, longe lateque in orbe proferendam gratulatus est. Id vero beatitatis se obtenturum spondit, si rite quidem religionem curaret, cujus indicem *Securim*, qua victimæ cædebantur, adjecit. Si deinde, Legum firmus, Juri dicundo, rebusque omnibus ex æquo administrandis intentus, Justitiæ quoque intemeratum se Sacerdotem præberet: quod *Fasces*, vel quæcunque demum virga illa adunca & ferrea designant. Si præterea arma victricia ea animi modestia temperaret, ut Pacem per bella quæreret, Patriæque procuraret, æqua illam conditione rogantibus libenter indulgens: cujus eum *Caduceo* admonuit. Postremo, quia concordia res parvæ crescunt, discordia vero etiam magnæ dilabuntur, *Manus junctas* supperaddidit, luculentum concordix signum, sancte semper in republica servandum. An recte omnium memini? **TULL.** Prorsus eximie: lubens interim fateberis, recte omnino hoc loco hunc Numum a me esse relictum, ubi sermo noster omnis de Monarchico regimine instituitur.

VIII.

PUB. Qui vero succedunt Numi tres, nisi te Illustrante, multis me tenebris offundunt. *Capricorni* hic saltantes, quos pascere in altissimis ajunt, altiora ingenio meo, fateor enim, mysteria recondere videntur. **TULL.** Faciam, ut paulo post salios istos presso pede haud difficulter consequaris. Præ omnibus porro *Suetonio* sic narranti velim auscultes. „ In secessu *Apolloniæ* (inquit de *Augusto*, qui quidem tunc „ juvenis adhuc, & *Octavius* appellabatur) *Theogenis* Mathematici per „ gulam, comite *Agrippa*, ascenderat. Cum vero *Agrippæ*, qui prior consule „ bat, magna & pene incredibilia prædicerentur: reticere ipse Genituram su „ am, nec velle edere perseverabat, metu ac pudore, ne minor videretur. Qua ta „ men post multas adhortationes vix, & cunctanter edita, exilivit *Theogenes*, ado „ ravit

Sueton. in Octav. 6. 94.

„ ravitque eum. TANTAM mox FIDVCIAM FATI habebat AVGVSTVS, ut Thema suum vulgaverit, Numumque argenteum nota sideris „ CAPRICORNI, quo natus est, percusserit, „ Hujusmodi Numi cum omni in metallo etiamnum hodie existent frequentes: unicus hic locus Suetonii omnibus lumen accendit. Hinc enim communis inter Eruditos pervagata est opinio, Augustum & Capricorni fidere natum esse, & Theogenis præfagio, quod deinde multiplex rerum prosperrimarum eventus comprobavit, summam Fati fiduciam captasse, Capricorno quodammodo pro Fortuna sua habito, & numis signato.

PUB. Liquet ergo jam etiam mihi argentei Denarii mei, quem IX. *Aversa* sui parte pinxisti, tacita philosophia. Sistit is in *Aversa* Caput Tab. I. *Augusti* nudum absque ornatu, ulloque nomine. Retro *Capricornum* exhibet, animal, cerebro fingentium ita natum, ut parte sui priore capram, posteriore piscem representet. Mire vero hæc bestia dives, ac gloriosa apparet: pedibus quippe & Orbem, & Gubernaculum, & Amalthææ Cornu, five *Copix*, gestat, universa nimirum Fortunæ florentis insignia, quæ Imperium felix fortunatumque luculenter deprædicant. Subscribitur nomen: AVGVSTVS: ut hac sola voce non modo sciremus, quem demum clientem, sed & quam illum fortunatum *Capricornus* reddiderit. Quidquid enim sublime in Mundo dixeris, *Augusto* minus est. TULL. Quam belle omnia: non potest melius. Formæ porro causam *Isidorus* ita reddidit. *CAPRICORNI* figuram ideo inter sidera finxerunt propter Capram Jovis nutricem. Cujus posteriorem partem in effigiem PISCIS ideo formarunt, ut pluvias ejusdem temporis designarent, quas solet idem mensis (December nempe, quo sol Capricornum ingreditur) plerumque in extremis habere. Ast vero Cornucopiæ & Gubernaculi eadem certe est ratio apud Capricornum, quam D. Lactantius esse apud Fortunam ipsam ajebat, scribens: Simulacrum ejus cum CORNUCOPIÆ & GUBERNACULO fingunt, tanquam OPES tribuat, & humanarum rerum REGIMEN obtineat.

Isidor. apud Pitisc. L. x. Ant. Voce Capric.

D. Lactant. Firm. L. III. c. 29.

PUB. Absque Suetonio esset, parum, ut opinor, in hoc numulo curioso Eruditi dextere vidissent. TULL. Ægre omnino quisquam eorum ausus fuisset, immo vel somniasset duntaxat, Capricornum Themati natalitio Augusti assignare. Posteaquam vero in Suetonium jam omnes consentire, ut irrequietus est hominis eruditi sensus, & ut pudet persæpe doctos, majorum suorum juges discipulos esse, novissime duos præcipue Clariss. Viros cupido novitatis incessit. Nullius addicti jurare in verba magistri nostræ hujus ætatis acutissimi Critici, ii maxime, qui in vete-

Phænom.
Arati
v. 554.
Manil. L.
II. v. 507.

Spanhem.
Tom. I. p.
238. seqq.
Lieb. Goth.
Num. p. 55.
56.

rem Chronologiam, imis e vestibulis retrahendam, unice infudant, ætatem *Augusti*, atque Natalem penitus explorantes, dubitare magnopere de Veritate thesisi hujus *Suetoniana* cœperunt. Pars namque eorum ad vetus Calendarium respicientes, omnino contenderunt, *Augustum* sub sidere *Capricorni*, quintam sub terris domum Fortunæ signante, genitum esse. Pars contra, novi Calendarii a Jul. Cæsare emendati ratione præhabita, monuerunt, natum illum esse cum horoscopo Virginis surgentis. Sic Orbis eruditus in diversa est scissus, fidesque *Suetonii* non parum apud plurimos vacillare ocepit: quantumvis eam *Germanicus* etiam Cæsar in Phænomenis *Arati*, *Manilius* item in Astronomicis sustentaret. Quare ad aliam interpretationem Numi hujus, atque similium, confugere, primum quidem *Cl. Harduinus*, liberrime, ut solet, jactitans, eos omnes a *Suetonio* deceptos, qui *Capricornum* hæctenus pro Natali *Augusti* sidere habuerint: cum tamen nil aliud, præter *Abundantiæ* terra marique symbolum existat. Deinde *Cl. Morellius*, cujus sententia, *Capricornus* ad res duntaxat navales attinet, inque numis *Augusti* signatus, decretoriam ejusdem pugnam & victoriam navalem ad Actium deprædicat. Omnia porro hæctenus recensita multo largius percerent, primum quidem *Ill. Spanhemius*, post eum vero *Cl. Liebe*, ipsi existimantes, nihil adhuc tanti ponderis ab Adversariis allatum esse, quod receptam de *Capricorni* sidere, eodemque Natalitio *Augusti* themate, opinionem, *Suetonii* fide subnixam, evertere possit. Conciliandis vero utrisque sententiis hoc tandem medii adhibent, ut statuatur: tametsi *Augustus* ipse deceptus, falsoque opinatus esset, *Capricorni* se sidere esse natum, id saltem fere liquere, quod ita crediderit, ita falsus sit *Theogeni Astrologo*, cumque inde ab eo præfagia *Augusta* accepisset, quæ ipso opere adimpleta videret, nihil penitus animi pendulum, hoc thema suum Orbi universo professum esse, atque monetam *Capricorni* nota percussisse.

XI.

Sic porro *Augustum* & sensisse re vera, & egisse, hunc quæ ejus sensum illa ætate statim in omnes evulgatum esse, ut certum reddant laudati Rei Veteris Monetariæ præstantissimi Duumviri: ad plurimum Numorum manifestum certe, & irrefragabile, quod ipsis videtur, testimonium illico provocant. Primus *Cl. Liebe* numum parvum ex auro pingit, hinc cum Capite nudo, & subscripto nomine: AVGVSTVS: inde cum *Capricorni* imagine, nihil tamen gestantis, non Orbem, non Gubernaculum, non Cornucopiæ, adscripto duntaxat supra & infra lemma: SIGNIS RECEPTIS. Cusum deinde ait hunc numum ad commendandam posteris insignem illam *Augusti* fortunam, qua sine sanguine, quem
tamen

tamen multum profundi oportere metuerat, a Parthis, mira eorum obsequendi promptitudine, *Signa illa recepit*, quæ prius M. Craſſo, & M. Antonio, cum ingenti Romanorum pudore, ac dolore non minori, ademerant. „ Age jam (poſtea ſubdit) ſi ex *Harduini* ſententia *CAPRI-CORNUS* nil præter *Abundantiam terra marique*, aut ex *Morellit*, imperium ſummum *Victoria navali Actiaca* partum designat: qui *Symbolo*, „ huic convenit cum *inſcriptione* ! „ Quid *Capricorno* myſterii ſubeſt, ut *Signa recepta* proclamet? Recte vero eorum agit præconem, ſi juxta *Suetonium*, veluti *Natalitium Auguſti* thema, *Fati*, quam ei peperit, *fiduciam* designet. *Victoriæ* enim contra *chara* fuit *Auguſto*, ſummæque ſuæ deputata *Fortunæ*, hæc *Parthorum* in ſignis reddendis *benevolentia*: quæ & totius pariter *Romæ* unanimi ſenſu, tantam huic *Principi* *Gloriam* peperit, quantam *Victoria*, vel e maximis una, parere poterat. *Teſtantur* id multiplices *numi*, vario licet *imaginum ſchemate* ſignati, quibus *Senatus* ſibi, & *Principi*, hæc *Signa recepta* iterum iterumque *gratulatus* eſt.

III. deinde *Spanhemius* compluribus aliis *Numis* receptam hætenus *Capricorni* in *Numis* *Auguſteis* *philoſophiam* tuetur: utpote qui non *Romæ* duntaxat, ſed & in aliis, longe quoque ab *Urbe* diſſitis *Civitatibus* excuſi, immo & a *poſterioribus* *Auguſtis* ad *imitationem* primi fabricati ſunt. Unum ex his, quem tibi *exempli loco* pingerem, ſaltem *elegi* *mediæ* *magnitudinis* *Numum* *Panormitanorum* *Siculorum*. *Adverſa* nitet XII. *Tab. I.* *Capite Auguſti*, radiante *corona cincti* absque *titulo*. *Averſa* *Capricornum* *Num. II. V* *ſiſtit* ſine cæteris omnibus *Felicitatis* *ſymbolis*, ſubjecto tamen *conſueto* *Siciliæ* *typo*, capite nimirum *humano*, e quo tria *prodeunt* *crura*, ac *totidem ſpicæ*, *alterno ordine*. *Epigraphe*: *DD. i. e. Decreto. PROC. onſulis*. Non eſt, ut *Siciliæ* *typum* hic *primum* tibi *exponam*, cum id in *Exercit. Proæm. Dial. XIII. n. II.* jam *uberius* fecerim: uti & de *Proconſulum* *munere* te in *Parte I. Dial. IX. n. IO.* ſatis *erudii*. Hoc ſolum *advertere* te *velim*, aliud nihil *Siculum* hunc *numum* *portendere*, quam ut *Auguſto*, per *adeo dilecti* ſibi *Capricorni* *ſidus*, *florentiſſimum* *fortunatiſſimumque* *imperium* *gratularetur*. Sed & *Cl. Patinus* *rariſſimum* *Patin.* *quemdam Anazarbenſum* *Metropolitanorum Amanicæ* *Ciliciæ* *numum* *depinxit*, *Impp.* *hinc* cum *capite* *Julie* *Paulæ*, *primæ*, ſed *repudiatæ* ab *Elagabalo* *con-* p. 269. *jugis*: inde cum *Capricorno*, & *Orbe* *monarchico* ei *ſubjecto*. *Anazarbus* enim *Amanicæ* *Ciliciæ* *Metropolis*, poſtea ab *inſtauratore* *Auguſto* *dicta* *Cæſar-Auguſta*, *gratior* eſſe *Benefactori* ſuo *haud* *novit*, quam ut *amatum* ſibi *ſidus* *vadem* *beati* *imperii* *ſiſteret*, longe etiam poſtea, quam ille *ſideribus* *receptus* jam eſſet.

Sed

XIII. Sed plus ultra Sideris hujus ter auspicati existimatio progressa est, *Jul. Fir.* de quo *Julius Firmicus* alicubi præfagiit: in prima *CAPRICORNI* parte quimic. apudcunque habuerit horoscopum, *REX* erit, aut *IMPERATOR*. Nam & *Tristinum. Vespasianus*, licet ad eum Cæsarum familia nihil amplius attigisset, post-
Tom. I. quam tamen *Titum* filium jam Imperatorem secum dixisset, luculento
p. 142. duorum Cæsarum Felicitatis indicio, Numum excudi voluit, non uno tantum, sed gemino Capricorno spectabilem. Pinxi tibi eundem, laudatum a *Spanhemio*, ex *Ænea Vico*, qui eam apud *Com. Zantatum* cum
Tab. II. *Num. VIII Argent. Vespas. 32.* tum iterum *Aur. 7.* excudit. *Adversa*, quam *Vicus* omisit, sine dubio Caput habet *Vespasiani*. In *Aversa* gemini Capricorni terga sibi obvertunt, Incubante area rotunda, in qua literæ: *S. C.* Mox sub area *Orbiculus* apparet *Monarchicus*, fasciis ligatus, lemmate omni omisso: siquidem *Capricorni* ipsi, recepta nimirum tunc apud omnes opinione, fatis vocales videbantur, immo sonoræ quodammodo turbæ beati imperii, juxta quod *Manilius* cecinerat:

Manil. L. IV. v. 789. Tu, **CAPRICORNE**, regis, quidquid sub Sole cadente.

Commendat ulterius *Spanhemius* numum alium *Imp. Domitiani*, pariter *Capricorni* Cornucopiæ gestantis omine felicitatis insignem. Neque *Hadriani*, & *Antonini Pii* Cæsarum oblitus est: in quorum numis rarioribus imagine *Capricorni* adscriptum: *FELICITAS AVG. a. sti.* Dabis itaque, Optime *Publi*, tot & tantis testibus Numis convictus, fidem *Suetonio* minime vacillantem, credesque, *Augusto* suum *Capricornum*, etsi re vera non fuisset, certe creditum esse & natalitium thema, & Signum auspicatum.

XIV. *PUB.* Amplissime *Capricorni* mysteria mihi exposuisti, Orbisque in numis quid signet, pari ante facundia mihi enarrasti. At vero cur *Gubernaculi* illustrandi adeo parcus fuisti? Didici a te, minima quoque in numis magna industria explorare. *TULL.* Recte poscis, ut in hac etiam parte, priusquam hodie finiamus, fidem meam tibi datam eliberem, quod fere mihi exciderat. *Ciceronis* sunt phrasæ, inde latinis omnibus
Cicero pro Sextio. solemnes, *Clavum imperii tenere*, & *Gubernacula Reipublicæ tractare*. In
Rosin. Ant. terest autem *Clavum* inter, prout is ad rem navalem attinuit, atque
viqu. Rom. *Gubernaculum*, observante *Rosino*, quod hoc postremum pro toto equidem
L. X. Col. remo, quo navis præcipue regitur, accipi solet, *Clavus* porro pro anfa,
1595. ex seu fuste, lignoque oblongo, sive collo remi, quod *navarchus*, navim
Servio *Grammat.* diri.

dirigere fatagens, manuprehendit. Parvulum hoc in rem nostram discrimen: semper enim Numi Gubernaculum integrum exhibent. Haud paulo tamen majoris momenti, Gubernaculo Imperium Monarchicum depingi, atque hoc pacto Cæsarem cum Navarcho componi. *Plato in Polit. p. iii. 297.* Platonis profecto sententia non alia, certior PRINCIPIS effigies quam periti GUBERNATORIS, ad cuius proinde imaginem in Principe formando continuo lubenterque se respicere profitetur. Dudum quoque *Philo Legat, ad Cai. p. 999.* Judæus de Romano Imperatore afferuit: Adjunctis GUBERNACVLIS communem REGAT hominum NAVIM. Suarum plane partium ducat ut Princeps, oportet, quod cecinit *Virgilius.*

Ipsè GUBERNACLO RECTOR subit, ipse Magister. *Virgil. Æneid V. v. 276.*

Ejus namque est, perhibente *Quintiliano*, docere, ceu verum GUBERNATOREM, litora, ac portus: quæ tempestatum signa? quid secundis demum flatibus poscat ratis, quid adversis? ac follicite secum circumspiciat, quod canit *Lucretius*: *Quintil. Institut. L. XII. c. 11.*

Queis regere immensi Summam, queis habere profundi. *Lucret. L. II. v. 194.*

Endo manu validas potis est MODERATOR habenas.

Atque inde est, sapienter admonente *III. Spanhemio*, in numis non modo Gubernacula, sed & Naves, cum lemmate Felicitatis, præterea Anchoram, totiesque ibidem Providentiam & Securitatem Augusti, vel Reipublicæ prædicari: Fortunam item cum Gubernaculo: vel Clavo exhiberi, utilissimo ac necessario Principibus dogmate, ut clavum imperii tenentes, & Gubernacula Reipublicæ tractantes, segnes nullo unquam esse tempore velint, sed Orbi sibi subiecto moderentur gnæviter: cujus fortuna sui Principis atque Rectoris diligentia fiat, socordia vero necessario concidit. *PUB.* O pulchra Numorum Philosophia! auro ipso, vel argento, cui inscripta est, immensis numeris potior. Bonum factum, Thesauros Numorum, & pretio & raritate supra privatorum plerumque inopiam positos, solis fere Principibus cumulate obtingere posse, Eorum denique Numi sunt Academia: eorum bono, ac disciplinæ, hos parvos mole, doctrina amplissimos Fastos Divina olim Providentia conscribi jussisse videtur, ut inde genus omne bonorum in omne hominum genus, Principibus subditum, largo amne dimanaret. *Spanhem. Tom. I. p. 151. seq.*

DIALOGUS III.

De

Numis, qui FELICITATEM Regiminis, ejusque
jam firmatæ SECURITATEM, aut SPEM firmandæ
depingunt.

TULLIUS.

I. **Q**uemadmodum Numi tui obvii plerumque sunt, atque vulgares, cujusmodi ii fere censentur, qui præter usitatissimas Dearum aut Semidearum figuras peculiare nihil, vel imagine, vel inscriptione præ se ferunt: ita *Felicitatis*, *Securitatis*, ac *Spei* centum fere typi sese tuis in numis ostendunt. Ex his porro ego nonnullum feci delectum, cum Symbolorum, tum lemmatum causa, nonnihil saltem variorum, ac proinde octies tibi *Felicitatem* depinxi, bis deinde *Securitatem*, ac toties postea *Spem*, ita Tabulam primam hanc complens. Ubi præ omnibus, velim, diligenter advertas, *Felicitatem* duntaxat Reipublicæ, felici a Principum Regimine ortam, in hujus, uti Tabulæ, ita & Dialogi Argumentum a me esse adsumtam: *Securitatem* quoque non aliam, quam quæ firmitas esset hujus mox dictæ *Felicitatis*: denique & illam solum *spem*, qua hæc *Felicitas* vel afferenda, dum adhuc abesset, vel cum adesset quidem, sed solita nondum, firmanda propediem optabatur. Sunt porro alii Numi, *Felicitatis*, *Securitatis*, *Speique* lemmate illustres, ubi tamen harum beatitudinum radices longe diversæ sunt, nimirum Religio Principum, Virtus eorum bellica, atque *Victoriæ*, Liberalitas in subditos, Augustarum item *Fœcunditas* &c. cujusmodi *Felicitatis* fontes cum alterius ordinis sint, præsentis instituti nostri non credidi, numos, qui illuc respiciunt, in hanc scenam inducere. Dum interim vel ex paupere Arcula tua tute ipse tamen conspicias, toties *Felicitatem* numis esse excusam, atque recusam: liquido id habe testimonio, Sacro illi Romæ Senatui nihil æque cordi aliquando fuisse, quam Reipublicæ Florem & Incolumitatem: BEATITVDO enim TEMPORVM LAETITIA POPVLORVM, teste *Cassiodoro*. Neque eum curis aliquando fuisse potioribus, quam ut Principes suos sui in hac parte officii, procurandæ nimirum Civium Salutis, undique demum & undique commoneret.

Cassiod.
Variar. L.
10. c. 20.

Quare

Quare nec apud unum fere Principem hanc utilissimam lectionem prætermisit. Sed & ipsi quoque Imperatores ante omnia solliciti fuisse videntur, ut *Felicitas* suorum *Temporum* non uno laudum monumentorumque genere apud posteros vulgaretur. Nam *FELICITAS TEMPORVM* ad *IMPERATORIS LAVDEM* pertinet: prout olim jam *Servius* Commendatione sua ad *Virgilianum* illud: *Redeunt Saturnia Regna*: recte adnotaverat. Unde non solus *Symmachus* maxime variis in locis, sed & alii scriptores æque graves, cum suas quandoque ad Augustos epistolas darent, *TEMPORVM* sub eis *FELICITATEM*, *LAVDEM*, *GLORIAM*, *FAMAM*, *AEQVITATEM*, *BONITATEM*, creberrima vel gratulatione, vel adulatione, jactitarunt. Jam porro tuos ad Numos accedamus. *PUB.* Obsecro te, quoniam iidem planiores cæteris videntur, nihilque præter jam superiore Dialogo a te illustrata præ se ferre, mihi vices concede, utque ordine eos recenseam indulge. Sic discipuli tui, ab ore alias tuo unice pendentis, nonnullum periculum facies. *TULL.* Sino perlubenter: fare, age.

PUB. *Felicitas* atque *Fortuna*, quarum hæc vocari in vota omnium propemodum ore consuevit, illa votis jam beatos homines damnat, Matris ac Filiaë sese inter rationem habere videntur, ac proinde paribus prope imaginibus, & symbolis comparent. Par de utraque est vatis illius querela, exclamantis:

O FORTVNA, quam variabilis!
O nulla longi temporis FELICITAS!

Interim *Fortunæ* in manu *temonem* quidem sæpius videmus, sæpe tamen etiam *Gubernaculum*, quod *Felicitas* secum fert: ambo vero non multum imparis officii sunt, dum alter quidem curram, alterum vero navigia gubernat. *Cornucopiæ* *Dearum* utraque a se vix unquam dimittit. Sed misso hic *Fortunæ* nomine, *Felicitatis* typum primum apud me conspicio in Denario argenteo *Antonini Pii*, certe optimi Principis: quo gubernante mihi Roma, & Respublica, si unquam, felix fuisse videtur, si quam felicitatem fides non vera permittat. *Adversa* Numi circa Caput laureatum ita habet: ANTONINVS AVGVSTVS. PIVS. In *Aversa* foemina veste adstans talari, ad pedes *Orbem* habet, cui dextra extenta *Gubernaculum* velut imponit, lævo brachio refertum *Copiæ* cornu hilariter deferens. Lemmatis loco residui *Antonini* tituli circumstant in hunc modum. TRI.bunitia. PO. restate. XXI.un. COS.ul. IIII.tum. Certe *For-*

tunam æque, ac *Felicitatem*, hic depictam existimare liceat: quæ imago, licet maxime obvia sit, rei tamen Numariæ veteris penitus rudem, quod lemme careat, multum animi dubium relinquere possit. Gnaviter vero hæc eadem *Felicitatem* non quamlibet, sed beati regiminis, non privatam, sed publicam indicat Orbe, & Clavo: quam numus hic gratulari videtur Imperatori, ut feliciter procuratam: Reipublicæ vero cum amplissima dulcissimorum quorumque fructuum, quibus Copiæ cornu oppletum est, ubertate actu provenientem.

III.

Tab. I.
Num. X.
& XI.

Qui sequuntur in Tabula tua apud me argentei duo numuli, unius ejusdemque sunt imperatoris *Vespasiani*, boni non minus Principis. Utriusque *Adversa* ejusdem est capite laureato, cum epigraphe: IMP.erator. CAES.ar. VESPASIANVS AVG.ustus. In *Aversa* utrobique sedet fœmina. ast in priore ad fœmur nuda, corpore reliquo vestita. Nimirum nuditas beatitudinem denotat, & immortalitatem: Dii siquidem injuriæ omnis, labisque expertes, vestibis neque pudoris, neque decoris, nec infirmitatis & periculi, sive molestiæ indigent causa: præterquam quod pectus apertum insuper Deos cum propitio: nobis & faventes, tum nostri penitus conscios designet. Dextra extenta hæc Dea bacillum gestat, in quo Sceptrum intueor, Potestatis, ut arbitror, Supremæ notam: simili certe Duces in acie imperantes utuntur. Læva, quam se pone reclinat, (aduceum sustinet, qualem Mercurio tribuunt, repetitum hic forte, ni lævo penitus Appolline coniiciam, summi Imperii indicem. Quid namque vetet, in virga Sceptrum Potestatemque intueri, in anguibus porro implexis Prudentiam una & providentiam Principis agnoscere? Quamquam alias non me lateat, Caduceum Pacis symbolum esse. Circumstant residua *Vespasiani* elogia: COS.ul. ITER.um. TR.ibunit. POT.estate. Quæ in alterius Numi *Aversa* assidet Fœmina, veste talari est tota: dextra autem protensa aut lauri, vel olæ ramusculum gestat, sinistra denuo Caduceum. Hunc, sive lauro, sive olivæ sociatum, quamvis etiam Pacis esse symbolum dixerò, neque sic tamen a typo publicæ *Felicitatis* exerrabo. Pace enim, ut artes, ita florent & leges, atque Fruges abundant, omnium proinde est votum: *Pacem te poseimus*. Plena enim plerumque in Pace Felicitas. *Vespasiani* interim docet historia, pacatissimum hunc Principem, excisa Judæorum fece, de qua Domini mortem per se, atque filium *Titum* est ultus, splendidissimum Paci Templum condidisse. Anne mirum, si ejus in numis Pax ipsa locum Felicitatis subierit? Posteriorem vero hunc numum esse priori, liquidum reddit, quod circum legitur: TRI.bun. POT.esti. II.dun. COS.ul. III.tium. P.ater. P.atrix. Non

Non paulo autem felicius Caduceum gestasse jam supra laudatus IV.
Antoninus Pius censendus est, cujus est rursus æris apud me medii nu- Tab. I.
 mus hic consequens. Ejus enim Caput radiatum gestat in *Antica*, hosque Num. XII.
 titulos: ANTONINVS AVGVSTVS PIVS. Retro stat fœmina in stola
 & pallio, caduceum dextra, sinistra hastam gerens. Penes Auctoritas
 Senatus innuitur per literas: S. C. per orbem lego: TRIB.un. POT.est.
 COS.ul. IIII. In hasta, quæ Sceptri loco veteribus erat, maxime apud
 Deos, Imperium intelligo, Diis quidem immortalibus in orbem univer-
 sum natura proprium, Principibus vero, providentia Deorum, quadam
 sui parte, atque vicaria potestate concessum. Sive deinde in Caduceo
 Felicitatem, sive Pacem intelligam, omnia in Rempublicam per univer-
 si imperii sui tempora cumulate, confertaque mensura contulit *Pius Anto-*
ninus, quodque mirere, ad omnium fere Principum invidiam togatus
 prope semper: vix enim bella gessit, nisi subito compescendus esset per
 duces vicinus inquietus, atque ad officium redigi debuerit. Alias vero,
 & quæ reipublicæ suæ ingruere poterant arma, & quæ exteris gentes
 sese inter colliserant, non semel sola sua Authoritate, vitæque, ac famæ
 gravitate composuit.

Ad *Titum* jam redeundum, Principem Romæ tam felicem, ut amor v.
 & deliciae Generis humani pervulgato invidendoque summæ Felicitatis elo-
 gio, appellaretur: sub quo proinde merito, Urbs illa æterna, præcinen-
 te sibi *Marone*, cantare poterat:

Crebrescunt optatæ Auræ, Cursusque secundus.

Virgil.
Æn. III.

Adversa proximi Denarii argentei laureato ejusdem capite superbiens, Tab. I.
 sic illum prædicat: IMP.erator. *Titus*. CAES.ar. VESPAS.ianus. AUG-
 ustus. COS.ul. VIII.num. In *Aversa* affidet fœmina stolata ac palliata, Num.
 quæ dextra quidem denuo caduceum, lævo autem brachio non simplex XIII.
 sed geminatum Copiæ cornu, frugibus largiter refertum, jucunda susti-
 net, & ne incognita nobis esset, hoc lemmate proditur: FELICITATI
 AVGVSTI. Compendium nobis fecissent laborum boni Quirites, si numis
 omnibus congrua symbolis lemmata adjecissent. Sed ipsi ingenio vigen-
 tes, excitare illud in monetæ suæ curiosis spectatoribus, nuda quando-
 que pictura loquente, voluere: ea tamen nobis percommoda lege sibimet
 scripta, ut, quos in pluribus numis sine interprete litera typos ediderunt,
 eosdem in nonnullis saltem, citra erroris periculum, certo tutoque lem-
 mate explicarent. Quo demum fit pacto, ut solitudine, cupidineque
 tanto majori Numi eorum quærantur, spe equidem non vana, fore ali-
 quan-

quando, ut post plura in numis ænigmata, ardue frustra que vestigata, unus tandem numus obtingat, quo in multis similibus Oedipo, ac veluti clave, tuto tandem uti possimus. Interea nullus numus tam reconditus, cujus exponendi periculum excitata ingenia non faciant, congruamque & imaginum, & symbolorum, & literarum rationem tandem inveniant: verumtamen longe inter se discrepant, erudite, quid videri possit, coniecere, & quid re vera Quirites ipsi, hac vel illa imagine, sive illo aut isto literarum compendio, edicere voluerint, penitus atque verissime assequi. Hic certe tutissimam fidem, opemque, numi ipsi sibi invicem præstant.

VI.

Sed ad *Gordianum* Principem juvenem, atque in paucis præclarum, me progredi tua jam Tabula jubet. Clavum ille Reipublicæ faustissimo certe fidere obtinuit, modo perfidia renatam cum eo Imperii Felicitatem diuturnam esse sustinisset. Hujus numos geminos subjunxisti: quorum primus apud me argenteus quidem est, sed ære nimio subactus. Lego in eo circa Caput juvene & nudum: IMP.er. GORDIANVS PIVS F.clix. AVG.ustus. Retro stat fœmina, cum *Caduceo* hastæ imposito: ante eam a dextris Ara humilis focus habet accensum, cui illa dextra extenta liquorem sacrum patera affundit. *Epigraphe*: SECVLI FELICITAS. De Ara, certa religionis indice, cogitare licet, vel per eam commendari Pietatem Principis, quæ Felicitatis unica & solidissima basis est, ac fundamentum: vel vero hic pro Felicitate aut adepta gratias reddi Diis immortalibus, aut pro conservanda supplices preces offerri. *Seculi* vero, quod idem est ac *Temporis*, *Felicitas* commodum plane huic numo inscripta videtur, si *Gordiani* historiam expendere libeat. Tristissima enim tempora rempublicam a morte *Alexandri Severi* involverant. Lugendum jam erat, hoc ipso tam egregio Principe rempublicam per sicarias manus fuisse spoliata. Sæva insuper fuit *Maximi* Thracis rusticitas, ac tanta, ut eum Senatus hostem decernere debuerit. *Gordianum* deinde Afrum tumultus militum paulo post sustulit. *Balbinum* ac *Pupienum*, domi a Senatu ad imperium adlectos, populi rabies laceravit. In unum ergo *Gordianum* juvenem, Afri illius, ut ferunt, Nepotem, alea fortunæ incubuit: qui mira animi sui, atque indolis compositione ornavit tempora sua, ac sedatis iterum tumultibus, beatoque regimine, Aureum Romæ seculum denuo condidit. Unde non mirum, reductam per eum *Felicitatem* altero quoque numo, apud me æreo medio, esse deprædicatam: cujus *Adversa* par fere numo priori. *Aversa* fœminam signat, cubito sinistro columnæ innixam, dextra protensa *Caduceum* hilariter ostendentem, cum lemmate: FELICITAS PVBLICA. Nempe fessa erat tot malis atque turbinibus, &

lan-

Tab. I.
Num.XIVTab. I.
Num.XV.

languēbat respublica : sed novo hoc Principe, in ejus florenti virtute, & Senatus, & Populus, & Miles acquieverat, veluti fulcro sustentata est. Quare hac moneta non solum reducem sibi Felicitatem solito Pacis scepro i, e. Caduceo, sed & firmitatem illius Columnæ quam aptissimo symbolo adumbravit. Fecit autem non longe post *Philippus* Arabs ense sicario, ut Columna hæc rueret ante tempus, & Roma infelix damno suo addisceret illud Poetæ lamentum:

-- -- Quam præcipites labentia casus
 Secla agitant! quantovolvuntur fata tumultu!

TULL. Euge discipule fere supra magistram, Publi lectissime! Mira VII,
 tu mihi memoria es, ubere facundia, judicio pereleganti. Pulcherrime juxta atque dextrime tot jam hastenus numos, typo *Felicitatis* conspicuos, tum ex Historia, tum e Politicæ præceptis enarrasti, ingenti me sane cum animi mei voluptate tibi ausculante. Prope vices meas implesti, felixque cognitionis tuæ jam non vulgaris in re veteri Numaria periculum fecisti. Parce vero, quod nunc tibi interloquor, dum geminos *Gordiani* junioris numos, *Felicitatem Seculi*, sive *Publicam*, sub ejus amabili Principatu collaudantes exposuisti. Addo ego & tertium *Alexandri Severi*, non quidem in penu tua existentem, neque a me pictum, sed nuper admodum in pererudita *Dissertatione Viennensi de Numis Veterum Monetariorum culpa vitiosis* p. 22. vulgatum. Argenteus ille ac sincerus scribitur, & æris medii pingitur magnitudine, forte tamen eam non æquans. *Adversa* Caput habet *Alexandri* laureatum, addito nomine: IMP. SEV.erus ALEXAND.er. AVG. *Aversa* seu *Fortunam* ipsam, seu *Felicitatem*, sub fœminæ, cum *Cornucopiæ*, ac *Gubernaculo* orbi imposito, stantis imagine sistit: pone stella. Hastenus omnia vulgata: sed *epigraphæ* insolens: sic descripta: PTMRPCOS Hæc quomodo legeres? Quid hic ænigmatis latere suspicaris? *PUB.* Hæreo enim magnopere. *TULL.* Facile tibi patebit, has literas omnes consonantes, conficere vix demum posse lemma aliquod, imagini congruens. Postremæ vero literæ COS, quæ tam sæpe in numis *Consulem* denotant, admonent illico peritum versatumque in numis lectorem, nihil hic, præter *Alexandri* titulos, more plurimis numis solemni, ex *Adversa* residuos describi. Unde situm secundæ ac terciæ literæ, quas sculptor incuria transposuit, levi negotio immutans, clarissime leges, quod alias solet: P.ont. M.ax. TR.ibun. P.ot. COS.ul. Ita Clariss, e S. J. Pater *Ludov Debiel* Dissert. ut supra. *

PUB.

* Hujus Dissertationis verus Author, ut postea comperi, est A. R. P. *Erasm. Frölich*. S. J. cum *Debielius* solum fuerit Promotor in gradu illo Academico quo hæc Dissertatio vulgata est.

VIII. *PUB.* Gratum hoc mihi, quod apte interseruisti, parergon aliis Tab. I. quoque in numis, Monetariorum vitio depravatis, ingenium mihi acuet. NumXVI Superest porro mihi unus adhuc Felicitatis typus in numo *Titi* jam supra commendati apud me æreo medio. Capiti ejusdem laureato, in *Adversa* conspicuo, cum titulis suis, *Aversa* imaginem reddit *Felicitatis* prorsus uberis & abundantis. Nulla hic dea stat, vel assidet, sed omnem aream implet *Caduceus* grandis, medius inter *Cornuacopiæ* utrinque geminata. Pone literæ S. C. omni alia Epigraphe prætermissa. Quomodo porro Princeps ille rempublicam non omni felicitate affluere fecerit, de quo memorix proditum, suspirasse illum, cum dies quispian sibi elapsus esset, quo neminem se beneficio affectisse recordaretur, ac dixisse: *Amici, diem perdidimus!* *TULL.* Pulchra hæc denuo *Commentariorum* tuorum in tot hastenus numos coronis. Siquidem vero defatigandum nunquam ingenium est, viribusque adhuc integris conquiescendum, ne studiorum nos tædium aliquando atque fastidium subeat: sine jam, ut meam in stationem denuo succedens, *Securitatis* typos, ac *Spei* sequentibus in quatuor numis tecum expendam. *PUB.* Amanti nihil difficile. Rapuit sibi dudum animum meum res *Numaria*, & vix demum dulcius aliquid præ *Veteris Æris* docta ac erudita cognitione existimo. *TULL.* Multum, crede mihi *Optime Publi*, immo plurimum interest affectum inter & ingenium. Illius libertas atque facultas a nemine pendet: fervet ergo, quousque eum excitat objectum. Contra vero ingenii, in quo vita est maxima, vires & usus spiritibus egent, quibus eget & corpus. Quantum ergo ingenio das, tantum corpori subtrahis: quod si languidum nimia spirituum subtractione feceris, necesse est, brevi post ingenium quoque marcescere. Utrique igitur consulens, Arcum in tempore remitte, ne nimium intensus, etsi tu nimius tibi nunquam videre, rumpatur, quando minime voles. *PUB.* Pareo monenti, & ea tibi jam cedo sermonem.

IX. *TULL.* *Felicitati* ergo, de qua tot egregia verba fecisti, nihil jam supperaddo, præter monita nonnulla, quæ te non ignorare minime *Johert. In-* pœnitebit. Primum itaque advertit *Doctiss. Jobertus*, si in numis, *fruct. VI.* quod creberrime fit, de *Imperatoribus* prædicentur *Felicitas*, *Securitas*, *Spes*, *Providentia*, *Æquitas*, aliæque *Virtutes*, voxque *Augusti* addatur, *p. ni. 165.* nullum dubium esse, quin ea *Virtus*, sive *qualitas bona*, de *Principe*, tanquam in eo residens, atque resplendens celebretur, sive deinde scribatur v. c. *Felicitas Augusti*, vel *Felicitati Augusti*. Contra vero, cum legitur *Augusta*, esse nonnullos *Eruditos*, quorum opinione, quamvis illa certo

certo necdum stabilita sit, illo pacto non tam Princeps, quam ipsa Virtus, aut Deitas, tanquam Augusta, i. e. Sancta, commendetur. Qua proinde in sententia v. c. *Felicitas Augusta* non esset præconium Principis, Rempublicam felicem reddentis, sed purum duntaxat nomen Deæ. Idem esset, si scriberetur *Felicitati Augustæ*: nimirum ad mentem *Ovidii* canentis: *Sancta vocant Augusta patres*. Sed licet hic interim sentire, quod libet. Alterum est, quod te moneam ex Ill. *Spanhemio* præter recensita tuis in numis lemmata, in aliis insuper legi FELICITAS ORBIS, sive IMPERII, sive ROMANORUM, & in peculiari *Maxentii* numo: AETERNA FELICITAS AUGUSTI ET IMPERII. Ex eodem disco, Græcas Urbes, si quando *Felicitatem* Imperatoribus gratularentur, scripserit: ΤΥΧΗ ΖΕΒΑΣΤΗ: quod quidem proprie FORTUNA AUGUSTA legendum. Notat insuper Cl. *Liebe*, Græcis in numis, uti in *Cianorum* sub *Severo*, imaginem *Felicitatis*, præter *Cornucopiæ*, & temonem, modium insuper, novum ubertatis symbolum, in capite gestare. Cl. porro *Morellius* advertit, cum imago occurrit fœminæ, temonem Orbi imponentis, sive *Fortunam* illam, sive *Felicitatem* dixerimus, representatam videri *Auream Fortunam Domus Augustæ*, quam Imperatores in cubiculo suo asservabant, & morituri quandoque Successoribus suis transmissere. Tandem prætereundum mihi non est, quod denuo Ill. *Spanhemius* docet: peculiarem omnino esse epigraphen in numo *Mariniane* jam Divæ, seu post mortem ejus cuso, quæ Coniux erat *Valeriani senioris*. Ibi enim circa imaginem consuetam *Felicitatis*, i. e. fœminæ stantis cum caduceo & *Cornucopiæ*, legitur: FELICITAS DEORUM. Quod quidem lemma Cl. *Harduinus* continuo interpretatus est de *Felicitate Gallieni & Valeriani junioris*, fratrum Co-Augustorum, & superstitem filiorum *Marianæ*, quasi ipsi in hoc numo *Dii* dicerentur. At vero Ill. *Spanhemio* non incongruum videtur, si ipsis *Diis* adscribatur *Felicitas*: qui non modo ipsi supremæ *Felicitatis* sunt compotes, sed & omnis inter homines *Felicitatis* Authores. Unde & *Æschylus*, græce quidem, dixit: DEI vero munus est, quod FELICES sunt homines. Superest vero, quod *Rosinus* refert, *Felicitatem* inter *Quirites* eo loco fuisse, ut *Dea* haberetur, *Ædem* acciperet, *Aram* mereretur, & *Sacra* ei congrua fierent. *Ædem* ei An. Urb. Cond. DCLXVI. *Luc. Lucullus* Consul cum *M. Cotta* locavit: idemque teste *Plinio*, *Simulacrum Felicitatis* ab *Archeiflao* *Plasta* HS. i. e. *Sestertium* millibus LV. depactus est: cui tamen mors utriusque invidit. Sed etiam e *Dione* discimus, *M. Lepidum* *Magistrum Equitum Felicitati Cesaris* ex *Senatus Consulto* *Templum* construxisse.

Spanhem.
Tom. II.
p. 442.

Id. Tom. I.
p. 147.

Liebe
Goth. N.
p. 286.

Apud eund.
Liebe
p. 442.

Spanhem.
Tom. II.
p. 306.

Sept. Theb.
v. 631.

Rosin. Ant.
tign. Rom.
L. II. c. 15.
col. 382.

Plin. Hist.
L.
XXXV.
Dio L.
XLIV.

X. Nihil vero ejusmodi cultus de *Securitate* reperio : quippe quæ veluti pedissequa duntaxat *Felicitatis*, aliud fere nihil est, quam tranquilla sine metu ejusdem possessio. Meretur tamen ejus in numis imago curatius inspici, quod habitu sane percommodo ibi conspiciatur.

Tab. I. Primum tibi eandem depinxi ex ære tuo medio *Neronis*, cujus caput N. XVII. laureatum redhibet *Adversa*, hosque titulos : NERO. CLAUD. ius. CAES. AUG. iustus. GERM. anicus. Pont. M. ax. TR. ibun. P. otest. IMP. erator. P. ater. P. atrix. In *Aversa* fœminam videas stolatam, insuper cum pallio, subsellio elevato non insidentem modo, sed & innixam, dextraque caput fulcientem, atque omnino talem,

- - Cui vacuo molles stant pectore curæ.

quod *Virgilius* cecinit. Sinistra hastam tenet : prope eam ara, absque igne, cujus tamen pedi fax ardens quidem, sed neglecta, segniter accubat. Lemma : SECURITAS AUGUSTI. S. C. Nulla certe imago aptior pingendæ *Securitati*, quam fœmina, metu omnino soluta, de nullo jam cogitans labore, commodum sedens, immo reclinis, ac prope dormienti similis. Ara sine foco ardente, forsitan & supplicationes, quas rebus angustiis perpetuo facimus, dum omnia jam e voto succedunt, non necessarias arguit. Fax, quæ alias vigilantix index est, neglecta hic jacens, solutum curis omnibus animus prodit. Nescio vero, quomodo *Neroni*, tyranno tam furenti, adeo *sui securo* esse licuerit. *Semper enim seva præsumit perturbata conscientia*, Comicus ille agebat. Nisi forte primis sub annis, quibus optime præfuit *Nero*, *Matre Agrippina*, *Seneca*que magistro reipublicæ moderantibus, hæc moneta excusa sit. Aut vero posteaquam *Janum* clausit, fatue quidem, ut *Suetonius* ait, tam nullo quippe, quam residuo bello, sibi hoc numo de *Securitate*, armis tantisper silentibus, applaudi volebat.

Sueton. in
Ner. c. 14.

XI. PUB. Non multum impar *Securitatis* simulacrum teneo in numo æreo medio *Vitelli* : cujus *Antica* caput ejus laureatum præ se fert, crassumque, cum titulo : A. ulus. VITELLIUS GERMAN. icus. IMP. erator. AUG. iustus. P. ont. M. ax. TR. ibun. P. otestate. In *Postica* denuo fœmina, pectore nudo, in subsellio reclinis, dextram quidem super caput imponens, cubito sinistro super fulcrum sellæ quiescit. Ante eam Ara ardens, accubante etiam face accensa. Lemma : SECURITAS P. o-puli ROMANI. S. C. Parum, credo, hæc laus ad *Vitellium* attinuit. TULL. Tabulæ huic *Æneæ* consignata non est *Securitas*, quam indig-
gnus

Tab. I.
N. XVIII.

gnus hic Princeps contulit, sed quam, si bene imperare vellet, conferre debuerat Populo Romano. Præterquam enim: quod vel inter quotidianas profusissimas commestationes suas, ubi alias molestæ curæ vino demergi solent, ipse dignitati suæ, quam omnium minime meruit, perpetuo metuens, crudeli ense quamplurimos Senatorum & Equitum, in fidei apud se suspicionem adductos, truculenter sustulerit: insuper imperii sui ab æmulo *Othone* vindicandi, vel contra *Vespasianum* obfirmandi causa, 90. fere militum millia utrinque cæsa numerantur. Ne dicam, hunc maxima ingluvie, uti ciborum, ita sanguinis helluonem dixisse, cum Romam accedens, per strata exercitus *Othoniani* cadavera, nimio opere fœtentia, pertransiret: *Bene hostem occisum olere, melius civem.* Dura est itaque *Cl. Patini* sententia, ubi hunc numum cum aliis pingit *Vitellianis*, in quibus *Ceres*, seu *Liberalitas*, *Æquitas*, ac *Providentia*, *Pax*, atque *Concordia* laudantur: „ Ostendere, inquit, vi-
 „ dentur hi numi, non *Titulorum* minus, quam ciborum avidam fuisse *Patin.*
 „ hanc belluam, nec stultitiæ *Vitelli* minus adulatos esse Romanos, *Imp. p. 104.*
 „ quam gulæ: cum in eum unum sapientissimorum, felicissimorumque *105.*
 „ Principum, uti *Augusti*, elogia congesserint. „ Narrat equidem *Sue-* *Sueton. in*
tonius, infaustum hunc, cum *Flavianos* seu *Flavio Vespasiano* faventes, *Vitell. c.*
 in *capitolium* compulisset, succensoque *Templo Jovis Opt. Max.* oppressisset, *16.*
 non multo post facti pœnitentem, culpamque in alios conferentem, ad-
 vocata concione jurasse, nihil sibi antiquius *QUIETE PUBLICA* fore.
 Hæc vero sub extremum imperii sui tarde nimis & inutiliter acta sunt:
Sero namque medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras.

PUB. Lætiora, quæ in *Tabula tua Securitatem* sequitur, *Spes* adpromittere videtur: de qua jam verba te facturum cum desiderio expecto. *TULL.* Nequit profecto *Spes* unquam nostra adeo concipi læta, ut tristia nulla cogitemus: haud enim, nisi post nubila Phæbum speramus. Recte *Ovidius*

-- -- -- *Credula vitam*
Spes fovet, & melius cras fore, semper ait.

Res denique reddit beatos: hæc vero quoties deest, *Spe* interim XII.
 atcunque mulcemur. Arguti veteres in *Spe* fingenda fuere, quam mul-
 ti *Numorum* tuorum, imagine semper simili, ob oculos ponunt, pro-
 be intuenda. Pinxi tibi eundem primum quidem e numo *Æreo* medio
Alexandri Severi, in quo non penitus irrita fuit. Numi *Adversam Prin-*

Tab I. cipis hujus Caput lauro illustre exornat, circumque legis : IMP. ALE-
N. XIX. XANDER PIUS AUG. In *Aversa* graditur fœmina juvenis, talari ve-
ste, ac lata, undique amicta, cujus laciniam læva demissa eousque at-
tollit, ut plantam pedis cernere liceat : dextra elata florem, lilio si-
mitem, absque tamen caule, & aspicit læta, atque ostentat. *Lemma*

Tab. I. est : SPES PUBLICA. S. C. E. Numo vero multum rariore *Aelii* Cæsa-
Num. XX. ris æris mediocris secundo loco eam tibi expressi, non solam amplius,
Patin. Imp. sed perbeata comite stipatam. Pinxit hunc numum etiam Cl. *Patinus.*
p. 163. *Antica* quidem circa nudum caput ita inscribitur : *L. Lucius. AELIUS CAE-*
SAR. *Postica* a dextris quidem *Fortunam*, seu *Felicitatem* stantem exhibet,
Deæ habitu, cum Gubernaculo, : ad lævam *Spes* adstat, quæ ve-
stem suam denuo modicum attollens, nudis, sed progredientibus pedibus
est. Ambæ interim confertis in medio palmis, frondem simul gestant
tenellam, recentibus foliis evirescentem *Epigraphen* residui *Aelii* tituli
componunt : TR.ibun. POT.estate. COS.ul. II.dum.

XIII.

Sustinuit *Alexander Severus*, frugi Princeps, Rempublicam *Spe bona*,
turpissimi *Elagabali* vitiiis infandis penitus antea conspurgatam : re ipsa
quoque felicem reddidit, atque pacatam. *Aelus* vero, quem Imp. *Had-*
rianus, e familia sua adoptatum, Cæsarem dixit, plurimum in eo fiducia
ponens, mox Prætorem dixit, & Pannoniis regendis imposuit, bene quidem
cœpit sustinere *Spem*, at subito lusit. „ Nec enim Provinciam, cui præ-
positus erat, defuit, (teste *Spartiano.*) Nam bene gestis rebus, vel
„ potius feliciter, etsi non summi, medii tamen obtinuit Ducis fa-
„ mam. Hic tamen valetudinis adeo miseræ fuit, ut *Adrianum* statim
„ adoptionis pœnituerit. „ Cum porro hic Imperator, astrorum satis
peritus, *Genesin* ejus, perbrevis vitæ præfagam, novisset, sæpe de
Aelio fertur cantasse :

Spartian.
in Aelio.

Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent.

Posteaquam vero opinione citius obiisset, jocando dixit : *Ego mihi*
Divum adoptavi, non filium, Non ideo tamen reipublicæ *Spes*, atque *For-*
tuna una cum *Aelio* tumulo illatæ sunt, immo convaluisse ex hoc casu
existimandæ, propitiis satis *Antoninum Pium* in demortui *Aelii* locum sub-
rogantibus : sub quo deinde Imperium diu pulcherrime floruit. PUB.
Sic fata res miscent humanas, tot malis afflictas, ut divini prope inge-
nii

nii fuerit, qui confinxit, *Pandoræ* fœminæ nobilissimæ, Jovis jussu a Vulcano fabricatæ, in quam deinde Deorum quilibet muneris aliquid contulit, ut omnibus tandem donis excelleret, a Jove irato pixidem dono datam esse, obseratam quidem, cum vero ab *Epimetheo* curiose nimis aperta esset, omne malum e sinu suo profundentem, sola *Spe* melioris ævi in fundo hærente.

TULL. Scite hæc infers, filumque mihi præbes, *Spei* propostam hætenus in numis imaginem morali ex philosophia, atque Mythologia penitus tecum explorandi, præeunte mihi Viro Eruditiss. *Mytho Reuschio*. Primum itaque *Spes* depingitur juvencula: ea enim in ætate *Spes* laudatur, non res: vegetus præterea juvenum ardor præcæteris ad magna confurgit. *Hilaris* apparet: quia *Spes* condimentum est vitæ, utque *Plinius* ait, *Blanda est sperandi pro se cuique dulcedo*. Vestis longa velatur: plerumque enim sperandum est diu, donec re potiare. *Difficilis* interim hominibus utcumque conceptæ *Spei* mora, inquit *Vellejus*: prout & *Sapiens* ait: *Spes, quæ differtur, affligit animam*. Sed & *laxa* illa est vestis, ventorum ludibriis exposita: quemadmodum ea, quæ speramus, adeo nostra sunt nondum, ut mille obstaculis non pateant. *Tenuis* est insuper, ita, ut membra ipsa quodammodo per eam transpareant, quod quidem numi tui non usque adeo exprimunt: quoniam rem, quam speramus, qualis sit, haud ignoramus omnino, non nisi tamen obscure intuemur. Attollit porro *Spes* vestis suæ laciniam, ut plantam ejus videas, ex qua veluti de reliquo corpore conicias. Patet enim nobis particula quædam rei speratæ, & obtingit, ut ad se totam obtinendam alliciat nos, incitet, atque confirmet. *Graditur* tandem, non stat, ut suo ad nos accessu apud nos veluti crescat eundo. Quæ porro bona est *Spes*, celeri pede, quæ anxia, segni gressu incedit: neque tamen volat, sed graditur semper, ut moneamur, spem æque nostram, ac pedes, ultra, quam par sit, extendi minime decere. *Florem* postremo tenet, qui calix potius floris mox erumpentis dicendus est, fructusque secuturi nonnullum quidem vadimonium præstat: ita tamen, ut metum urentis pruinæ, quæ florem una depascat & fructum, minime tollat. An porro *Lilium* sit, quod dextra sua *Spes* undique defert, disceptant quidem Eruditi: sed litem hanc, minus utilem, hic nostram non facio. Est vero, quod merito observes, nostro seculo omnes fere, qui *Spei* imaginem pingunt, eidem non jam *Florem* sed *Anchoram* potius addere: quia nimirum *Spes* jactatum malis animum, uti *Anchora* navim fluctibus agitatum, firmare solet, rectumque servare. Sed nullo id fit Numorum veterum exemplo.

XIV.

*Reusch. ad
Gemm.
Ebermair
p. 190.*

*Plin.
proem. L.
XXIX.*

*Vellei. Pa.
terc. L. II.
c. 67.*

*Proverb.
XIII. 12.*


Goth. Num.
nar. p. 496.

emplo: in quibus, si fœmina cum *Anchora* occurrat, turpiter hallucinetur, qui *Spem* ibidem agnosceret. Sic apud Cl. *Liebe* sub finem *Epistolæ III. Spanhemianæ* ad Cl. *Morellium*, pingitur æris medii numus *Ancyranorum*: in quo stat fœmina, quæ dextra extenta vas, seu craterem, aut lebetem gestat, vel urnulam, græcis in certaminibus usitatam ad colligendas pugilum, seu luctatorum sortes, gemino palmæ ramo inde prominente, tanquam *Victoriæ præmio*: læva autem *Anchoram* gestat. *Epigraphe græca*: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΑΝΚΥΡΑΣ. *Metropolis Ancyra*. Quid porro hic *Anchora* facit? Nihil illa ad *Spei* mythologiam: sed *Ancyra* nota atque tessera est, cujus *Conditorem*, *Gordii* filium, Græci *Scriptores* ajunt, *Anchoram* reperisse: quæ, omnium prima, eadem in Urbe, ad perpetuam utilis atque felicitis inventi memoriam, in æde *Jovis* reposita fuit, teste *Pausania*. Doctiss. porro *Jobertus* admonet, in numis compluribus *Syriæ regum Anchoram* conspici, nullo iterum *spei* indicio, sed originis causa a *Seleuco*, cujus mater somniabat, se ab *Apolline* concepisse, qui sibi annulum tradiderit, anchoræ imagine signatum. Unde omnes *Seleuci* *Successores* fœmori suo *Anchoram* inussere. *PUB.* Pulchra profecto hæc *Spei* philosophia, cum qua nostrum hunc *Dialogum* hodie belle concludis. Mihi porro spes plurima superest, fore, ut redeas quamprimum, *Tabulæque* sequentis pulcherrimos iterum *Numos* pari *facundia & eruditione* mihi exponere satagas. *TULL.* Faciam te spe non vana deludi. Pene vero exciderat, ut te monerem, *Spem*, in Græcis subinde *Numis*, præcipue *Ægyptiis*, hoc lemma habere: ΕΛΠΙΣ ΣΕΒΑΚΤΗ. i. e. SPES AUGUSTA. Et hoc memori mente tibi tenendum, notandumque, C. pro Σ. sæpe numero *Veteribus* scriptum esse. *PUB.* Tenebo, quoniam non desinis, ambidextrum me reddere, & ore etiam *Pelasgo* formare.

Pausan. in
Attic. p. 3.

Jobert. In-
struēt. IX.
p. m. 279.

Spanhem.
Tom. I.
p. 147.



DIALOGUS IV.

De

Imaginibus VIRTUTIS, HONORIS, ac PIETATIS
in Numis.

TULLIUS.

Virtutum nonnullarum imagines Numis consignatas, quæ ante
omne cæterorum hominum genus Principem ut maxime de-
cent, tecum exploraturus, rectissimo ordine, priusquam ad
peculiares Virtutis partes, progrediar, *Virtutem* se sola sum-
tam, nulloque certo nomine insignitam, omnes tamen hone-
stæ actionis partes sub se complexam contemplari aggredior. Sunt
quippe Numi non pauci cum hoc lemmate: VIRTUS AVG. vel AVGG.
quos tametsi Eruditi plerumque de Virtute Bellica, seu Fortitudine,
accipiant, premendo tamen vocem Lemmatis, & ne dissonante quidem
immagine, non immerito de generali illa recte laudabiliterque agendi
voluntate, eaque constanti atque perpetua accipi possunt. Atque sic
accepta *Virtute* nihil certe in rebus humanis pulchrius est: quæ si
talis, qualis est intus, foris appareret, omnes facile in sui amorem
converteret. Verum tamen in tam infinito fatuorum hominum numero
pulcherrimæ, ac vere cœlestis hujus Deæ tanta est ignorantia, ut
Arduitis suæ potius quam Venustatis fama in Mundo crebrescat: quo
fit, ut prope terribile Nomen *Virtutis* evadat. Cæterum hæc, quan-
tumlibet pulchra sit, vana tamen est, nisi pariter sancta sit: quæ
quidem laus nulli veterum, a vera Fide exerrantium, Pietati, Justi-
tiæ, Sapientiæ, Clementiæ &c. obtigit. Honestè forsitan egerunt, non
item sanctè: quoniam DEVM aut ignorantes, aut contemnentem, gra-
tia, quæ tanquam *datum optimum, & donum perfectum, desursum est descen-*
dens a Patre Luminum, heu nimium infelicitè caruere: merito proinde ac
præmio beatæ æternitatis in cœlo fraudati, quæ tamen sola demum mere-
tur, ut ad ardua Virtutis pede inoffenso heroicoque irremisse contendamus.
PUB. Sanctè præfari: attamen *Virtus* id demum peculiare habet, quod
menti ingenuæ vel sine præmio placeat, utque ipsa sibi est testis, ita
etiam, quod nonnemo dixit, sibi sit ipsa quoque pulcherrima merces.
Utinam

I.

Jacob. I.
17.

Utinam omnes vel *Plautum* audirent, ita clarissime, ac vere christiane perhibentum in *Amphytrione*.

VIRTUS præmium est optimum : VIRTUS omnibus

Rebus anteit profecto. Libertas, Salus, Vita, Res, Parentes, Patria, Propinqui, tutantur, servantur.

VIRTUS omnia in se habet. Omnia adsunt Bona, quem Penes est VIRTUS.

Sed finamus illos, qui periire in insipientia sua : nobis vero quod esse possit disciplinæ, eorum e Numis petamus.

II. *TULL.* Primam ergo *Virtutis* aureæ imaginem ecce tibi in *Tabula* mea II. primo loco, ex Aureo *Galbæ* numo, quem dudum *Aeneas* XII. *Cæs.* *Vicus* apud *Comitem Zantanum* nitidissime scalpro suo expressit, depictam, figura præter solitum conspicuam. *Aversa* numi utique capite *Galbæ*, ejusque nomine conspicua. *Adversam*, ut vides, occupat juvenis ex toto nudus : quia scilicet primum *Virorum* propria est *Virtus*, juxta quod *D.* *August.* *Augustinus* ad quemdem discipulorum : *Tu Vir es : ostende*, quoniam *VIR* a *VIRTUTE*, vel *VIRTUS* a *VIRO*. Deinde quia vera atque solida *Virtus* ad bene laudabiliterque vivendum nullis aliis præsidiis indiget quam se ipsa. Unde *Philosophorum* nonnemo docuisse fertur, tunc demum liquido constare, hominem inter sapientem atque virtute præditum, & insipientem quantum intersit, si nudos utrosque ad *Scythas* miseris, vel *Garamantas*. Tandem quia *Virtutis* æterna est cum vitiis lucta, atque ea sine *Adversario* marcet, quod *Seneca* edixit : agonem porro nudos inire, *Græcorum* æque ac *Quiritum* e more fuit. *Læva* juvenis ista hastam tenet, & *Diis* alias propriam, quia *Virtus* *sata gente Deum*, & *Potestatis* indicem, quia *Virtutem* qui tenet, inter *Principes* unus est *Princeps*. *Dextra* porro figuram gestat ligni supra latioris, infra angustioris, perque medium quodammodo scissi, nec forma rotunda sed quadrata fabricati. Novi quidem, cum id genus instrumentum sæpe in manu *Imperatorum* occurrat, dici a plerisque *Eruditis* vulgo *Parazonium*, quod idem sonat, ac parvum pugionem : a qua opinione tamen omnino

nino recedit doctiff. *Jobertus*, eo quod pugio cingulo fœmorali appendi soleat, hoc autem instrumentum, vel in manu semper, vel tergo, pharetræ in morem, appensum videatur, neque facilis ad pugnandum, hostemque confodiendum usus esse potuerit. Putat ergo, citra erroris formidinem dici posse *Sceptrum*, quo summi Belli duces utuntur, in acie impetantes. Cl. *Patinus* alicubi *Scipionem* vocat. Cl. *Libeo* suspicio erat, *Vitem* esse posse, antiquum centurionum signum, quo prælato, dispersos in pugna milites ad Aquilas suas revocarent. Ego porro, ut *Joberto* libenter largior, hoc instrumentum, si quando rotunda forma, supraque ac infra æque latum, maxime Imperatoribus tributum, recte *Sceptrum Ducale* dici. Cum vero in manu *Virtutis* illud videro, quadrata forma, ac supra latiori, per medium insuper deorsum scissa, alio abripor. Putem enim, regulam illud videri Architectonicam, sive Amussim, non incongrue posse, qua *Ædiles* utuntur, & fabri, ad murorum, lapidum, lignorum jstam rectitudinem examinandam, medio globulo plumbeo, per filum dependente. Quod ita, si per Viros Eruditissimos liceat, interim sentiam, facit, quia *Virtuti*, si eam non diserte pro Bellica Fortitudine, sed pro Constanti ac perpetua recte ibique agendi voluntate Facultate acceperimus, regula ejusmodi Architectonica pulcherrimi congruit. Hominis quippe *Virtutem* consecrantis certe est, nunquam ex animo Legis, Veritatis, Honestatis amussim demittere: ad quam singula studiose exploret, quemcunque pudet errare. Lemmatis locum subit abruptis syllabis utrinque recta linea scriptum aureum nomen: VIRTUS. Non facile adducor, ut Bellicam duntaxat virtutem nudi hujus juvenis imagine depictam existimen, cui ne quidem galea est. Cæterum *Galbe* non admodum hic typus virtutis convenisse videtur, de quo *Suetonius* ait. *Quamquam multa documenta egregii Principis daret, nequaquam tam grata erant, quam invisæ, quæ secus fierent.* Aut proinde regulam virtutis præpostero usu ad actus suos adhibuit, aut suæ virtutis minus æquos æstimatores sustinuit. Id tamen e præscripto fuisse *Virtutis* certe apparet, quod porrecta ultro cervice, dixerit interfectoibus suis: *Hoc agerent, atque ferirent, si ita esse videretur e re Populi Romani.*

Jobert. In-
strucl. IX.
p. m. 27.

Patin. Imp.
p. 192.
Liebe
Gotb. Num
p. 361.

Sueton. in
Galb. c. 14.

PVB. Haud paulo aliam *Virtutis* imaginem apud me sistit numus III.
argenteus *Gordiani* Nepotis: cujus *Adversæ* caput hujus Principis corona
exhibet radiante, cum titulis: IMP. CAES. Marcus. ANT. onius (jux-
ta alios *Antonius*) GORDIANVS PIVS AVG.ustus. In *Adversa* jam non Tab. II.
Juvenis, sed Fœmina adstat in sago & stola, pectore tamen nuda, ca-
Num. II.
pite galeata, dextra hastam gerens, læva, tuo quidem a sensu, regu-
Pars II. E lam

Iam Architectonicam, sinistro insuper pede galeam calcans. Lemma: VIRTUS AVGVSTI. Rectior hæc Bellicæ Virtutis imago existimari posset: quæ non solum Galea ipsa munita est, sed & Galeam, hostis loco devicti, magnanima calcat. Verumtamen fœminarum molle genus Virtute mascula nonne multo inferius est? TULL. Et hic Virtutem generatim sumtam te contemplari nihil officit. Parum etenim refert, quo Virtutem sexu expresseris: semper Virtus est, & supra hominem aliquid. Immo quod imbecillior est, qui vincit, tanta illustrior Victoria. Ardua Virtus exposcit: unde recte Horatius cecinit:

Horat.
Lib. III.
Od. 2.

VIRTUS recludens immeritis mori
Cælum, NEGATA tentat ire VIA.

Si vero nihil forte fœminæ indulseris, de Pallade quid facies Beliorum æque & Artium maxima Præside. Nonne Virtutes prope omnes fœminea veniunt appellatione? Uti fœcunditas fœminarum propria est, ita ea, unde bona nobis plurima proveniunt, recte fœminea in imagiue sistimus. Virtus porro quam fœcunda est Mater omnium recte factorum? Fœminæ tamen in hoc numo tuo mollitiem Galea, quam capite gestat, omnino excludit. Hanc certe ponere nunquam iis omnibus licet, quicunque sub Virtute merentur: quoniam illos noxia voluptas, omnisque virtiorum exercitus semper tenet obsessos. Atque hostes hos internecinos, tametsi blandiendo magis quam pugnando, laceffere soleant, glorioso oppressos triumpho cassis altera innuit, quem Virtus pede heroico calcat. Sic egit Gordianus Pius, ætate quidem juvenis Princeps, ad senum tamen invidiam Virtute decorus.

IV.

PUB. Vitellio certe ruborem incutere is maxime poterat, cujus in numo apud me æreo magno, attamen, ut vereor, sublesto, denuo typum Virtutis, una & Honoris contueor. Caput Adversæ laureatum hos titulos fert: Aulus. VITELLIVS GERMANICVS IMP. AVG. P. ont. Max. TRIBUN. Potestate. In Aversa à dextris quidem adstat fœmina semidiscincta, hastam dextra, læva Cornucopiæ gerens, pede sinistro galeam calcans. Ex adverso autem stat Vir habitu militis in chlamide, galeatus, hastam sinistra, dextra gestans amussim, immo veluti coxæ imponens, pede vero testudinem calcans. Epigraphe: HONOS ET VIRTUS. infra: S. C. TULL. Spuriæ manus esse tuum hunc numum oculus facile prodit, ad veri tamen ectypon confictus: Pingitur enim non solum apud Comit. Zantæum: sed & Doctissim. Jobertus ad eum provocat, ubi Pa-

razonium rejicit, quia Virtutis imago instrumentum hoc non gestat hic solum, sed & genu sustentat, ut proinde pugio credi non possit. Quamvis autem hic numus apud *Vitellium* veri elogii spartam minime tueatur, eleganti tamen ac perutili subservit apud nos disciplinæ. *PVB.* Testudinis inter omnia me plurima admiratio tenet. *TULL.* Eam proinde omnium primo expediam. Calcat eam *Virtus* in hoc numo (nisi fefellerit artifex) quia lentos ejusdem pigrosque gradus cane pejus & angue refugiat ille, necesse est, qui in stadio *Virtutis* decurrit: ibi enim non progredi regredi est. Quod maxime illis dicimus, qui ad veri *Honoris* aliquando scandere culmina postulant: quò certe alia, atque *Virtutis*, semita non ducit. Teste *Plutarcho*, cui & *Valerius Maximus* consentit, *Marcellus Templum HONORIS ET VIRTUTIS*, a se ex manubiis (i. e. spoliis hostium) *Siciliensibus exstructum*, dedicare cupiens, a Pontificibus impeditus, quod ii non recte una æde duos Deos includi dicerent, priori Templo alterum adiacere cepit, ægre ferens id impediementi, ac velut in omen trahens. Hic vero Numine contigit, geminas has ædes ita construi oportuisse, ut ad Templum *HONORIS* accedi, nisi per Templum *VIRTUTIS* minime posset: manifesto documento, verum *Honorem* sola merce *Virtutis* venalem esse. Quam bene itaque conveniunt, & in uno hoc Numo morantur *HONOS & VIRTUS*? Illum quidem plenum Copiæ cornu, quod non tam fruges, quam coronas & infulas dignitatum effundat, recte exprimit: uti nec galea calcata abludit. Hanc enim vel contemplari possis, ut Nobilitatis insigne: vel quia calcatur, inanis gloriæ typum, qua multi non nisi sua stemmata jactant, Majorum duntaxat *Virtute*, non sua illustres. Putidum *Honoris* hoc genus a vero *Honore* tantum certe distat, quantum ab homine pisticus, a luscinia cicadæ. Cum vero *HONOR* Romanis Deus fuerit, Conjugem ei *Reverentiam* dedere, & *Filiam Majestatem*. Canit enim in *Fastis Ovidius*:

Donec *HONOR*, placidoque decens *REVERENTIA* vultu

Corpora legitimis imposuere thoris.

Hinc fata *MAJESTAS*, quæ *Mundum* temperat omnem,

Quaque die partu est edita, Magna fuit.

PVB. Amo hunc numum, quamvis pullum ovo recenti exclusum, disciplinæ causa: qui vero sequuntur, *Pietatis* typi, me sibi penitus rapiunt.

V. TULL. Priusquam ad illos accedam, commemorandus apud te mi-
 P. *Erasm.* hi est Numus, in supra laudata *Dissertat. Vienn. de Num. Vitios.* vulgatus
Frölich. e prædivite Cimelio *Graneliano*, idque nuper admodum, qui est *M. Au-*
S. J. p. 20 relii Cæsaris, atque esse æris magni, integer & elegans laudatur. *Adver-*
sam caput ejus nudum exornat, cum titulis: AVRELIVS. CAESAR. AVG.
usti. PII. F.ilius. COS. *ul.* In *Aversa* adstat fœmina, quæ dextra qui-
 dem frondem aliquam ostentat, & *Spei* in morem læta adspicit, fini-
 stra vero Cornucopiæ gestat. Penes S. C. circum scribitur: DES. NOS.
 Edic jam, Publi, quid in hoc lemmate mysterii credis subesse? PVB.
 Mysterii dicis? an doli magis? aut vero erroris atque incuriæ? Postre-
 mum certe reor, & vereor, hoc ipso, quod in exemplum numi vitiosi
 hic præfens numus adducatur. Errorem tamen tam subito non assequor.
 TVLL. Erudite illum ac facile, & verosimillime retegat Cl. Author
 supra laudatæ singularis ac perutilis *Dissertationis Erasmi Frölich*, dum
 ait. Pingitur apud Com. *Mediobarbum* ejusdem *Aurelii Cæsaris* nu-
 mus argenteus, cum figuris plane iisdem utraque in parte. Epigraphæ
 autem *Adversæ* sic habet: AVRELIVS CAESAR AVG. *usti.* PII. F.ilius.
 COS. *ul.* DES. *ignatus.* In *Aversa* vero legitur: HONOS. Indubitatum
 itaque fere est, Artificem, qui ad exemplar numi argentei hunc æreum,
 quo de loquimur, efficere debuit, T O DES. vel oblitum esse scalpere
 in Antica, vel anteriores voces tam grandibus characteribus formasse, ut spa-
 tium pro DES. deficeret. Hinc syllabam hanc distulisse in Possicam: inter-
 pellatum vero in labore suo, alioque avocatum, tum denuo redeuntem, obli-
 tum syllabæ DES. ex *Adversa* huc dilatæ & opinatum, se jam T O HO. scalp-
 sisse a dextris, superaddidisse T O NOS, vitiumque proinde hoc numo intulisse.

V.

PVB. Poterat hic error, commodum sic reiectus, multis crucem
 ingeniis figere, nimium in re Numaria religiosi. Mihi interim, fa-
 teor, sæpenumero visum, veteres illos artifices, quantumvis arte ex-
 cellerent, communes tamen hominum manes passos esse una cum no-
 stris. Cito nos oblivio subit: cito distrahimur ad alia, maxime dum
 ex condicito & pro pane laboramus, ubi sæpe contingit, ad Artem nos
 quodammodo invitos esse, neque laborem, nisi imperaret necessitas,
 suscepturos. Hic certe mens libere vagatur: manus vero usu quodam-
 modo jam assueti laboris dextere tamen operantur. Quod si vero etiam
 opus quod agimus, nostræ sit, ac liberæ electionis, illudque tota men-
 te aggrediamur: nihilominus tamen sæpe sæpius vel summa nos etiam
 industria fallit. Quotidie plectimus ista in nobis: quomodo ergo roma-
 nis illis artificibus adeo dextrum adfuisse Jovem undique credamus,
 ut quidquid demum eorum exiret e manibus, Mercurius esset? TVLL.

Audi

Audi hoc loco ipsum Cl. Frölichium, ita eruditissime, licet paulo prolixius, differentem. „ Aliquos in Antiquo ære argentoque signato Monetarium errores certis indicibus deprehendi, neminem esse Antiquitatis peritum puto, qui vocet in dubium. - - Sunt equidem nonnulli, arguto ingenio, qui, quæ alii Monetariorum menda, aut libere appellant, aut merito suspicantur, ipsi arbitrentur mysteria. Hic enim vero eruditionis, & imaginationis fecundæ vim omnem exerunt, novas vestustatis eruendæ semitas rimantur, & ingenii ductum, ut cum Poeta loquar,

*F. Frölich
Dissert. de
Num. Viti-
os. p. 9. seq.*

Quaque est difficilis, quaque est via nulla, sequuntur. *Ovid. Metam. L. III.*

„ Hi conjecturis quibusdam freti, in eos diserte declamant, qui Monetarios veteres errorum sæpius arguunt, oggeruntque hæc talia. Si Monetarios veteres erroris illico postulare fas sit, vix quidquam reconditi expeditum iri: esse hoc, aut ignorantiae, aut fœcordiæ effugium: ita nodum oblatum scindi, non solvi: instaurari denique hic etiam posse querelas illas *Thucydidis* aientis: Ita molestiæ expertem plerique esse volunt *Inquisitionem Veritatis*, & ad facilia & magis parabilia, sese lubricius convertunt. E. converso alii illam arguti ingenii laudem nihil penſi habent, dum ad veritatem propius accedant modo: ad quam neque difficiles aditus horrent, neque faciles aspernantur. De numerum vitiis neque solliciti sunt, ut satis manifesta excusent: neque nimium securi, ut ambigua illico damnent, quando in re Numaria item

„ -- -- -- -- -- peccant
„ Securæ nimium, sollicitæque manus.

*Martial.
L. XIV.*

„ Ubi ratio major, & numerum consensus, ad Monetarium damnandum, quam ad excusationem novitatis & mysterii plenam extorquendam facit nodum scindere malunt, quam in scirpo quærere, Quæ certo comprobare possunt, explicant: de nonnullis dubitant, & conjecturas, si quas haud vanas fecere, conjecturas, non Oracula, haberi volunt. De quibusdam candide profitentur, se ea nescire: cum existiment, sapientiæ laudem non exiguam esse, scire, quantum nescias, & quantum scire non possis. Itaque, si quis est, qui se penetrasse credat omnia, maxime, ab eo dissentiunt maxime, qui fortasse

*Horat. Epist. L. II.
Ep. 1.*

Quod necum ignorat, solus vult scire videri.

VII. *PUB.* Belle non minus, quam argute hæc dicta (ab Eruditiss. suo Authore, merentur certe ab omnibus rei Numariæ Veteris curiosis studiose legi, atque expendi. Unde gratulor mihi, abs te ea audisse, memori mente a me reponenda. *TULL.* Non facile a quopiam solide posse ego quoque arbitror: nisi quis tanta fuerit religione, ut omnino sibi persuadeat, committere nunquam, uti debuisse ita & voluisse Quirites, ut Numi fallentes, etsi in illis errare artificii proclive fuerit, in publicum spargerentur. Nonne enim Authoritate publica excusi, Triumvirorum Monetaliæ curæ & inspectioni commissi, ac Senatus denique consulto, maxime, si de æreis loquamur, confirmati, ac quodammodo approbati sunt? Unde credendum omnino, Sacrum illum Senatam, atque Triumvirorum Collegium, eo ipso, quod numi publicæ erant Gloriæ Romanæ tabulæ, erroribus Artificum ita cavisse, ut si numi quidem, horum vitio, aut imagine, aut titulo, fallerent, vel emendari typaria, vel confringi, vel vetari subito mandarint. Contra si dixeris, forte non semper errores tam illico observatos fuisse: licebit reponere, verosimillimum videri, omnium primo excusa recentis moduli numismata, priusquam plura exempla in vulgi manus devenirent, Triumviris, atque ipsi forte Senatui fuisse oblata: a quibus inspecta utique, & explorata, Vitium suum subito, fateri debuerant. Sed huiusmodi ultro citroque jactari infinites queant, Veritatis permodico, aut nullo penitus lucro, nisi & detrimento. Oscitare, sicuti artificii, ita & Triumviro subinde contingere potuit: ne sexcenta, quæ nostræ industriæ evenire indies possunt, obstacula commemorem. Antiquum est illud:

-- -- Quandoque bonus dormitat Homerus,

Numos cum vitio, antequam illud notaretur, magno fortassis jam numero excusos, unde demum scimus abjectos omnes, rursusque conflatos fuisse? Id, quod equidem fieri, ipsa in Artificibus errandi frequentia interdixisse, non immerito videatur. *PUB.* Obsecro te, mitte ista jam tandem, quæ nemo definiet: dudum nos *Pietas* vocat, in Numis spectanda.

VIII. *TULL.* Chorum Virtutum non immerito ducere *Pietas* videtur, de qua vulgo etiam ferimus: *Pietas ad omnia utilis.* Comminiscitur *Ovidius*, Belides seu Danaes forores, ob maritos suos occisos, eo supplicii genere perpe

perpetuo damnatas, ut dolium, rimis undique hircens, perpetuo aquis
opplere casso labore cogantur.

Affidue repetunt, quas perdant, Belides undas

Ovid. Me-
tam. L. IV.

Canit Poeta. Idem infeliciter sane agunt ii omnes, qui *Pietatem* negle-
cti ducentes, laboribus operaque inutili sed diu noctuque fatigant, cælo
invito: *Affidue repetunt opes, quas perdant.* Contra vero, vel *Livio* ethni-
co teste, *Omnia prospera eveniunt colentibus DEUM, adversa spernentibus.* Liv. L. V.
Maxime vero Principibus nunquam excitat ingenua illa, & minime servi-
lis, tametsi servi, vox apud comicum:

-- -- -- Ubi non est Pudor,
Nec cura Juris, Sanctitas, PIETAS, Fides,
Instabile Regnum est.

Senec. in
Thyest.
Act. II.

Ante omnia tamen tibi observandum, quod quidem jam olim obiter
te admonui *Exercit. Proæm. Dial. XIV. n. 2.* Romanos in Græci voca-
buli *εὐπίθεια* locum *Pietas* dixisse, hocque postea nomine, æque ac Græ-
cos, promiscue usos esse. Unde pro variis quidem officiis, quibus jam
DEUM, jam Parentes, Liberos, & Agnatos, jam Patriam ac cives, jam
miseros omnes *Pietas* colit, nunc Religioni, nunc Amori, nunc Fidei,
nunc Misericordiæ æquivalet. *Pietas* in Deum, eadem fere cum religio-
ne, non hujus est Partis II^æ sed IV^æ. *Pietas* in parentes ac san-
guine junctos, alias Amor quoque dicta, Consulari e numo uno & al-
tero, huc advocato amplioris doctrinæ gratia, se tibi exhibebit. *Pietas*
in patriam ac cives, quæ Fides quoque appellatur, ac proprie ad Prin-
cipes attinet, locum hic proprium fortitur. *Pietas* tandem erga miseros
& egentes, Misericordia vulgo, non hic, sed paulo infra, ubi de Li-
beralitate Augustorum differemus, in scenam prodibit.

PUB. Nempe bene docet, qui bene distinguit: parum contra in IX.
rebus singulis videt, qui pervadere universa se posse in ictu oculi præ-
sumit. TULL. *Pietatem* jam olim idem, quod Amorem, fuisse, quem
natura mutuum parentibus ac liberis, cognatis agnatisque congenit,
Cicero reddidit testatum, alicubi sciscitatus? *Quid est PIETAS, nisi Vo-* Cicero. pro
luntas grata in parentes? Hinc *Pius* *Aeneas* dictus, & *Pii fratres Catinenses*, *Planco*
de quibus postea: *Oppius* quoque *Metellus*, & *Sext. Pompeius Pii*, im- c. 33^a
mo-

Spanhem.
Tom. II.
p. 430.

mo *Pietas* appellati, infert Ill. *Spanhemius*: præterea in Numis sæpe Matres cum infantibus exhibitæ, addito lemmate: PIETAS AVG. Quæ infuper publicæ Tabulæ *Pietatem* mutuam, five Principis in Senatum & Populum, vel econtra horum in illum, tanquam communem Parentem, non infrequenter describunt. Quem in sensum *Plinius* ad *Traianum* scribebat: *Erit PIETATI SENATUS cum Modestia PRINCIPIS felix, speciosumque certamen.* Hæc compendio sequentibus numis præmittere libuit: quorum

Plin. Pa.
neg. C.
LXXIX.

tu quidem vix unum ac alterum tenes, ego vero studiose tibi selegi, ut profectus tuus tanto amplior esset. Horum singuli te jucunde erudiant. *PUB.* Ipsa, quam oculis jam dudum præcurri, cum imaginum in his numis, tum lemmatum singularitas, eximium quid atque peculiare mihi illico spondens, animum meum mira in singulis rite sapiendi cupidine accendit.

X.
LiebeGoth
Num. p. 22.

TULL. Denarium ergo hunc tuum argenteum sume in manus, aureo illi *Gazæ Gotho-Fridericianæ* plane consimilem, atque *Adversam*, a me non pietam recense. *PUB.* Caput hic nudum specto *M. Antonii* Triumviri, & ab occipite lituum auguralem, cum elogio: *M. arcus. ANTONIVS. IMP.erator. IIIVIR. R. ei. P.ublicæ. C.onsituendæ.* *TULL.* Probe vidisti, atque legisti: ad *Aversam* jam perge. *PUB.* Stat ibi fœmina, dextra acerram, five parvulum vasculum, cui in sacris erat usus, uti nobis thuribuli aut naviculæ, gestans, sinistro brachio *Cornucopiæ* sustentans, cui ciconiæ geminæ insistant, rostris ad se invicem converfis. Lemma est, transversa linea hinc & inde pone fœminam descriptum, literis quidem T. & A. contractis: PIETAS COS ulis. *TULL.* Non ita, sed PIETAS. COS. ul. legendum: etenim *Pietas* hic non appellativum est nomen, sed proprium verumque cognomen *Lucii Antonii*, quem *M. Antonius* fratrem habuit, quique Consul fuit. Plures olim ac diversæ variis

Distil. In. fuere Appellationes, ut Quintilianus advertit, quæ femina positione mares sit. L. I. significabant. Sic Vitellius IMP. rebus suis extremis arctissimisque præsidium, licet inane, quæsiturus, Suetonio teste, Concordiæ nomen recipit. c. 4. Sueton. in Vitel. c. 15. Spanh. ubi supra p. 75. Dio Coccei L. XLVIII p. 360. pellabantur: quod ex *Cl. Perizonio* Ill. *Spanhemius* observat. *Tull.* lit autem *Lucius*, *M. Antonii* frater, qui *An. Urb. Cond. DCCXI.* cum *Publ. Servilio Vatia Isaurico* Il. Consul fuit, cognomen hoc *Pietatis*, referente *Dione*, maxime propter *Pietatem erga fratrem*: una enim cum *Fulvia*, *Marci* fratris uxore, eo animo rempublicam tractavit, quasi cum *Marco* fratre *Triumviro* laboraret. Atque idcirco *Pietatis* imaginem numis suis adhibuit: cui, quatenus *Deum* colit, *Acerra* plane congruit: quate-

quate-

quatenus vero Amorem erga cognatum sibi sanguinem innuit, Ciconiæ elegans symbolum præbent. Mira namque de Ciconia, quæ *Ambrosio* dicitur *Pia Avis*, *Petronio* vero *Pietati-cultrix*, rerum naturalium curiosi narrant: præcipue quanta cura, quanta sollicitudine proles harum avium effectos suos parentes alant, foveant, portent, atque reportent. De quibus proinde, tergora sua senibus parentibus pie supponentibus, eleganter cecinit recentior Poeta:

Non gravat iste labor volucres, relevando parentem:
Scilicet alatus pondera nescit AMOR.

*S. Ambros.
Hexamer.
L.V. c.16.
Petron. in
Satyr.*

*Salvator
Carduccius
Canon. reg.
in Emblem.*

Sed & id quoque hoc in numo te cum Cl. *Liebe* diligenter animadvertere velim, *Pietatem* cum *Cornucopiæ*, solito alias *Fortunæ*, aut *Felicitatis* Symbolo, hic comparere: ut adeo utriusque hic imaginem expressam esse existimari possit. Bello hoc documento est ejus, quam supra attuli, sanctioris philosophiæ: *Pietatem* nimirum *ad omnia utilem*, vere tandem redere *felicem*.

*Liebe unde
supra.*

PUB. Secundus, in quo *Pietatem* expressisti, numus, ejusque plasmate me donasti, commonet me alterius apud me subærati, quem *Exercit. Procem. Tab. IV. n. 1.* pinxisti, & exposuisti *Dial. XIV. n. 2.* quique est *M. Herrennii*, hinc cum Capite *Pietatis*, inde cum *Æneæ*, patrem ex incendio Trojano subducentis, imagine. Nam & hic pariter *Aversa* quidem habet Caput nudum *Augusti*, cum nomine Græco: ΕΠΗ-ΣΤΑΙΩΝ. (*TULL.* Latine dic: *SEGESTANORUM.*) *Aversa* rursus Trojanum illum Heroem *Aeneam* redhibet galeatum, ut lævo brachio *Anchisen* patrem seniculum gestat, dextra extenta *Palladium*, seu parvulam *Palladis* imagunculam, sequente eum *Julo* tenero filiolo. Epigraphe nulla. *TULL.* Pro *Palladio* maluiffem, cum Cl. *Patino*, qui & idem hunc medii æris numum pinxit, dixiffes *Penatum* aliquem, i. e. deorum eorum, dearumve, quibus domi a privatis cultus impendebatur. De occasione *Numi* hujus sic excudendi audi *Festum* apud laudatum Cl. *Patinum* ita fere scribentem. „ *SEGESTA* quæ nunc appellatur, oppidum „ est in *Sicilia*, quod videtur *AENEAS* condidisse, præposito ibi *EGE-* „ *STO*, qui eam *EGESTAM* nominavit. Sed præposita est litera *S.* „ ne obscæno nomine appellaretur: ut factum est in *Malevento*, quod „ *Beneventum* dictum est. „ *Paulo* aliter *Servius* narrat, nimirum: *EGESTAM*, *Hippotis* filiam, ne belluæ objici deberet, a patre navigio im-

*Festus apud
Patin. Imp.
p. 36.*

positam, ventisque ac procellis permissam, deinde ad Siciliam delatam esse, ibique a *Criniso* fluvio, in ursum, aut canem verso, vitiatam. Edidit EGESTUM, qui quidem *Virgilio* ACESTES dicitur, quique postea Civitatem, pro Trojanis conditam, ex matris, suoque nomine EGESTAM dixit, hodie SEGESTAM appellatam. Sive vero hæc Urbs *Æneam* ipsum Conditorem habeat, sive *Egestum*, qui eam pro Trojanis struxerit: Templum certe *Æneæ* apud eam existisse memorat *Dionysius Halicarnassæus*. Unde non mirum, *Segestanos* in Numis suis *Æneæ*, patrem e discrimine eripientis imaginem, quæ hanc ejus *Pietatem* Mundo æternam redderet, signasse. Qui etiam typus ad honorandum *Augustum* perappositus erat, tum ut eum a *Pietate* laudaret, tum ut Gentem Juliam, in quam a Jul. Cæsare adoptatus erat *Augustus*, & quæ originem suam ad *Æneam* retulit, una pariter veneraretur.

XII.

Spanhem.
Tom. II.
p. 184.
Patin. Fa-
mil. p. 219.
Tab. II.
Num.

PUB. Mira suis sub imaginibus celant Numi: quæ deinde Historia, etiam fabulis involuta, elegantissime reteggit. Hujus ope jam etiam pergrati aliquid cognoscere spero sequenti ex typo mediæ magnitudinis, oppido mihi placente. *TULL.* Hunc eundem numum Ill. *Sphanhemius* modulo fere æquali, Cl. vero *Patinus* Denarii forma, expressere. *Aversa* Caput nudum reddit, hinc cum Lituo Augurali, inde cum Urceolo, Pontificatus solito caractere, & elogiis: *MAG. nus. PIVS IMP. e-*
rator. ITER. um. Contendebat *Doctiss. Ursinus*, expressum hic esse Caput *Sexti Pompeii*, cui & *Pii* cognomen proprium, quia Patris *Cnei Pompei Magni* necem strenue ultus est, & illis, qui propter patrem per Triumviros proscripti fuerant, tutissimum asylum præbuit. Is namque Imperator sæpius in historia, Pater vero, non nisi semel tantum dicitur. Sed *Patino*, *Spanhemio*, *Libeo* testibus, universus Antiquariorum Senatus in hoc Capite *Cn. Pompeium Magnum* patrem agnoscit, quantumvis elogia addita ad *Sextum* filium pertineant. *Aversa* in medio quidem Neptunum sistit, corona radiante tectum, dextrumque pedem navis proræ imponentem, cum fronde in dextra, tridente in sinistra, ut plasma tuum habet: quod vel ideo suspectæ manus artificium, vel e numo spurio formatum fere subolet. Apud *Spanhemium* enim, & *Patinum*, uti minor est modulus, ita figura hæc mediæ loco frondis, aut Corallium, aut Acrostolium potius, solemne in prora navium ornamentum, tenet, tridente penitus omisso. Hinc & inde Neptuno adstant Juvenes duo nudi, quorum alter patrem suum, matrem alter humeris gestat, & aufert. Typus Juvenes isti sunt *Pietatis*, quibus, *Strabone* teste, *Amphinomi* & *Anapix* nomina erant, vulgo autem *Catanensium*, alii ajuunt

Strabo
L. VI.
p. 490.

ajunt *Catinensum Fratrum* : quia *Catanae*, vel vero *Catinae* in Sicilia, prope *Aetnam* montem, degebant. Quo sub monte *Typheum Gigantem*, Jovis fulmine prostratum, cubare, dumque membra movet, efficere, ut *Aetna* ignem evomat, Poetae fabulantur. Hi proinde Fratres, ut narrat *Strabo* ante laudatus, a *Neptuno* aliquando praemoniti, fore, ut *Mons Aetna* flammam terribiles, quae *Catinam* vicinam exusturae essent, eructaret, ingruente jam malo, parentibus in humeros suos sublatis, praesenti periculo incolumes eosdem subduxerunt : inde ab omni Antiquitate in exemplum *Pietatis* assumti. Quocirca de *Catina* ita *Silius Italicus* cecinit :

Tum CATINE, nimium ardenti vicina Typheo,
Et generasse PIOS quondam celeberrima FRATRES.

Sil. Ital.
L. XIV.
v. 198.

Hos porro argento suo signavit *Sext. Pompeius*, cum cognomen suum *Pii*, quo gloriabatur, ut supra audisti, affymbolo typo celebrare, neque tamen *Aeneam*, Gentis *Juliae* sibi invisae Antesignanum, exprimere vellet. Haud enim ignorare te puto, *Julium Caesarem* non nisi super stratum *Pompeium Augustae* postea *Monarchiae* fundamenta vere cruenta jecisse. Sed etiam legere, quae numo inscripta sunt, oportet. Et tuo quidem in plasmate sic circum lego : PRAEF.ectus. CLASS.is. infra : ET. ORAE. MAR.itimae. EX. S.enatus. C.onfulto. Attamen apud *Cl. Patinum* aequae, ac *Ill. Spanhemium* haec verba situm alium tenent. PRAEF. enim supra scribitur : circum nihil : reliqua omnia infra : novo fere sublestae fidei apud plasma tuum periculo. Interim de *Sexto Pompeio* ita *Velleius Paterculus* scribebat. „ *Murcus*, qui classi
„ & custodiae maris praefuerat cum omni commissa sibi parte exercituum,
„ naviumque, SEXT. POMPEIUM, *Magni* filium, qui ex *Hispania*
„ reverentes, *Siciliam* armis occupaverat, petit. - - Quem (videl.
„ *Sextum*.) SENATUS, pene totus adhuc e *Pompeianis* partibus con-
„ stans, post *Antonii a Mutina* fugam, eodem illo tempore, quo *Bru-*
„ *to*, *Cassio*que transmarinas provincias decreverat, revocatum ex *Hi-*
„ *spania* - - - in paterna bona restituerat, ORAE MARITIMAE
„ PRAEFECIT. „ Illustri hoc testimonio inscriptionis quoque cau-
sam perspicue redditam habes. Jam a Consularibus Numis ad Augu-
stos redeamus.

Vellei. Pa-
terc. L.II;

PUB. E tribus, quos pinxisti, solum ultimum ego teneo : reliqui
multo praestantiores undenam a te petiti sint, quidque reconditi habeant,
audiam

XIII.

Spanh.
Tom. II.
p. 437.

Dio L.
LXII.
p. 754.
Id. ibid.
p. 793.
Tacit. An-
nal. III.
c. 16.
Sueton. in
Vitell. c. 3.
Lamprid.
in Commod.
c. 18.

Tab. II.
N. VII.

Jobert.
Tab. VII.
n. 4. & p.
n. 155.

XIV.

audiam lubens. *TULL.* Amplissime doctissimeque pro more differens de Titulo *Pii* in Numis Augustis Ill. *Spanhemius*, ut confirmet, *Pietatem* crebro usurpatam esse pro Amore, seu Principis in patriam, Senatium, ac Populum, sive horum vicissim in illum, primum a contrario arguit, ajens. *Ασβεια*, sive *Impietas*, dictum esse de crimine Majestatis in Principem admissio, perhibente *Dione* de *Tito* Imperatore mitissimo, eundem in *Crimen Impietatis* inquiri noluisse: quemadmodum & Pater ejus *Vespasianus*, eas, quæ vocantur *Impietatis damnatorum*, accusationes sustulisse, ab eodem Scriptore dicitur. Ex *Tacito* deinde inducit *Pisonem* loquentem: *Vixisse me, Cæsar, cum FIDE adversum te, neque alia in Matrem tuam PIETATE.* Statuam quoque *Lucio Vitellio*, Imperatoris *Vitellii* patri in rostris erectam juxta *Suetonium*, cum hac Inscriptione: **PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM.** Neque ex *Lampridio* diffimulat, cum *Severus Pertinax* Imperator inauguraretur, faustas inter Patrum acclamationes illud quoque ingestum: **PIETATI SENATUS feliciter!** Mox numos *Antonini Pii*, *Commodique* commemorat, cum imaginibus Imperatoris atque Senatus togatis, & epigraphe: **PIETATI SENATUS.** Tandem insignem maximi moduli numum *Galbæ* Imp. subjungit, hic a me tibi pictum: cujus *aversa* circum Caput ita inscripta: **SER.gius. GALBA. IMP.erator. CAESAR. AUG. P.ont. M.ax. TR.ibun. P.otestate.** In *Aversa* stat Imperator paludatus, quem adstans Senatus togatus, sinistra lauri ramusculum gestans, dextra, veluti imposita lauro coronat. Lemma: **SENATUS PIETATI AUGUSTI.** infra: **S. C.** Subdit vero vir Illustris, facile alias videri posse, excusum, atque ita inscriptum hunc numum fuisse, ob adoptatum a *Galba* *Pisonem*, *nobilem utrinque*, & in quo factio *Favor Patrum* aderat, tradente *Tacito*. Neque enim exiguus est in patriam Amor Principis, si de Bono Successore sollicitus, eam etiam post fata sua & bene sperare vult, & habere. Ait tamen fere obstare breve illud quatuor solummodo dierum, Adoptionem hanc inter, & cædem *Galbæ* ab *Othone* procuratam, intervallum. Cæterum mox ibi alterius ingerit numi mentionem, in quo duorum Principum *Pupieni* & *Balbini* Concordia, qui mutuo dextras jungunt, hoc lemma honoratur: **PIETAS MUTUA AUG.ustorum.** A quo vero non abluere puto alterum eorundem Principum numum: cujus partem *Aversam* pingi curavit *Cl. Jobertus*, ubi nil præter manus junctas videas, cum epigraphe: **AMOR MUTUUS AUGG.ustorum.** Ubi vides *Pietatem* non de Amore solum, sed etiam de *Concordia* acceptam fuisse.

PUB. Tam multa hic de *Pietate*, ut Amori mutuo Principis ac Subditorum convenit, ex Ill. *Spanhemio*, Viro, & Eruditione pariter sum-

summo, atque iudicio, & candore in re Numaria penitus eruenda spectatissimo, unum in numerum congeffisti, ut penitus hanc Virtutem introspeffisse tibi quidem videar. Eum tamen, qui sequitur, numum, uti non obvium, ita elegantis pariter esse disciplinæ, facile arbitror. *TULL.* Bandur. Biblioth. Numar. Edit. Ham. burg. p. 9. Eundem ego tibi fide interim *Antonii Zantani* Comitis & Equitis, qui, teste Cl. *Bandurio*, inter primos Numis Augustorum vulgandis sedulam curam adjecit, ad lineas artifices *Aenæ Vici*, quo ille usus est, depiuxi. *Adversa a Vico* non picta Capite *Titi* utique nitet, ac nomine. In *Aversa*, si *Zantanum* sequi liceat, media stat Mater *Domitilla*, utriusque filii, *Domitiani* a dextris togati, *Titi* a sinistris pari habitu, cum hasta, imperii Augusti, quod gerebat, indice, adstantium dextras amice conjungit, vul- Zantan. XII. Cæss. Tit. 31. Tab. II. N. VIII. tu in *Titum* converso. Lemma: PIETAS AUGUSTA. Infra: S. C. Expositiones Numis suis *Zantanus*, erroris periculo deterritus, nullas appo- Spanhem. Tom. II. p. 285. suit, ita fatus in fine Præfationis secundæ: *Apertam, ut ita dicam, hujus Theauri cellam relinquam: in eam quisque divitias ingenii & eruditionis suæ, sudoribus & laboribus partas, condere poterit. Sed nec ab alio quoquam laudatum, sive expositum hunc numum alicubi reperi: ejus proinde cavere integræ fidei haud possum. Mediam interim mulierem, ut dixi, in Indice saltem Zantanus voce Pietas, appellavit Domitillam, amborum fratrum Matrem: quæ cum velata sit, jam Divam illam exhibet, si ipsa sit: quoniam jam defuncta scribitur, priusquam marito Vespasiano imperium obtigerat, a filio postmodum Tito imperante, & Divæ, & Augustæ honorem consecuta: quod me rursus docet Ill. Spanhemius, invito li- cet Cl. Harduino. Quod si ita sit, ac Domitilla hic vere adstet, parum absum, ut insuper credam, in Adversa quoque non Titi Caput, sed hu- jus Augustæ Matris suæ comparere, cum elogiis: DIVA DOMITILLA AUGUSTA. Qua quidem cum epigraphe Numos duos, a Cl. Vaillantio productos, commemorat Spanhemius: quorum alteri in opposita parte inscriptum sit: PACI AUGUSTAE: alteri: PIETAS AUG. quibus vero cum imaginibus, ibi Vir Illustris altum flet. Addit tamen, hos numos probi omnino comatis a Vaillantio haberi: cum alias plures numi, Domitillæ inscripti, sublesti habeantur, Harduino ita interim rigido, ut omnes damnet. Cui porro hujus numi Aversa sola inspicienda datur, ubi nulla Domitillæ mentio, mulierem velatam credere vel posset esse Vestæ, aut Pietatis, aut Concordiæ imaginem. Viri vero togati, quorum dextras fœmina conjungit, an vere Titus ac Domitianus fratres, sint, ex tripode pronuntiare non possum: credo tamen interim Zantano. Cur vero dextræ eorum junctæ? Causa forsitan latere possit in his Suetonii de Sueton. in Tito c. 9. Tito verbis, quæ præterire hoc loco nolui. „ Fratrem (puta Domitia- num)*

„ num) infidiari sibi non desinentem, sed pene ex professo sollicitantem
 „ exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque seponere, ac ne
 „ in minore quidem honore habere sustinuit: sed ut a primo imperii
 „ die, consortem successoremque testari perseveravit: nonnunquam se-
 „ creto lachrymis, & precibus orans, ut tandem MUTUO ERGA SE
 „ ANIMO vellet esse. „ Quæ major a *Fratre in Fratrem PIETAS*,
 vere *Augusta*, Imperatorem, sui nimirum undique potentem decens, ex-
 spectari unquam possit? Hac tanta vero *Titum* fuisse, Historia testis est:
 tametsi hic numus aliam quamlibet ob causam sic excusus, aut plane sub-
 lectus esset.

XV.

Tab. II.
N. IX.*Patin.**Imp. p. 359.**Sparzhem.**Tom. II.*

p. 313.

PUB. Pulchre coniecisti. Sed certior est numus, qui nobis restat, *Pietatis* imagine clarus, quem ipse ego in ære parvulo teneo. *Adversa* caput fœmineum exhibet, haud multum crine tortum, fastigiolo tamen quopiam simpliciore ornatum, cujus nomina sunt: *FL.avia. MAX.ima. THEODORA. AUG.usta.* Retro vel illa eadem, vel alia fœmina stat, infantulum gestans, & uberi admovens, cum lemmate: *PIETAS ROMANA.* Infra: *TR. eviris P.ercussa. TULL.* Pingunt hunc numum, majori quoque forma, etiam *Cl. Patinus,* & *Ill. Spanhemius*: qui posterior plurimum etiam similium memoriam ingerit, quantumvis imagines variant. Omnes autem *Pietatem* sine dubio Matrum Augustarum suos in filios commendant, ut reipublicæ magnopere proficuum: quandoquidem filii Principum spes quodammodo, & salus subditorum esse creduntur, si virtutem a Patribus in se traducem, cum lacte veluti matris, & fugant, & teneant. Lacteam in cœlo viam, sive semitam stellis perpetuis maximo numero collucentem, fingunt Poetæ e sparso Junonis lacte sideribus con-
 stratam. Matres Augustæ vere *Piæ* cum fuerint, probitatemque ac virtutem, una cum lacte, filiis suis ex ubere propinent, quam felix, quam serenum erit reipublicæ cœlum, non modo tot stellis, quot Matres Augustæ filios genuerint, verum & totidem solibus condecorandum. Præcipui vero in hoc numo ponderis esse videtur, quod *PIETAS* hic *ROMANA*, quasi per Antonomasiam, seu excellentiam scribatur. Multum namque supra modum tribuerunt sibi Quirites, seque in omni demum genere rerum honestarum, ac laudabilium, cæterorum hominum veluti normam, formamque credidere. Labet in rei hujus testimonium, & nonnullam numi præsentis illustrationem, adducere *Plinium*, ita magnifice loquentem. „ *PIETATIS* exempla infinita quidem toto orbe exstite-
 „ re: sed *ROMÆ* unum, cui comparari cuncta non possunt. *Humilis*
 „ in plebe, & ideo ignobilis puerpera, supplicii causa carcere inclusam
 matrem

Plin. Hist.
L. VII.

c. 36.

„ matrem, cum impetrasset aditum a janitore, semper exclusa (i. e. prohibita) ne quid inferret cibi, deprehensa est, uberibus suis alens eam. Quo miraculo *Matri* salus donata est *Filiæ* PIETATE, ambaeque perpetuis alimentis: & locus eidem consecratus est DEAE, C. Quintio, M. Attilio Coss. *Templo* PIETATIS exstructo in illius *Carceris sede*, ubi nunc Marcelli Theatrum est. „ Hactenus *Plinius*. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiquit. C. XVIII. Col. 378. Livius L. XL. Val. Max. L.V. c. 4.*

Qua in narratione solus *Festus* pro *Matre* ponit *Patrem*, observante *Demstero*: cum tamen cæteri omnes Scriptores, in quibus & *Livius*, & *Valer. Maximus*, cum *Plinio* consentientes *Matrem* nominent. Cæterum hæc *Flavia Maxima*, aut juxta alios *Maximiana Theodora*, cujus est numus, vel privigna fuit, aut filia Maximiani Herculei: quo, & *Dio-cletiano* jumentibus, *Constantius Chlorus*, pater *Constantini Magni*, repudiare primam conjugem *Helenam*, hancque *Theodoram* ducere debuit. Ex qua sustulit *Delmatium Constantium*, & *Hannibalianum*, ac tres præterea filias: ut adeo satis proinde copiam nacta sit, *Pietatem* *Matris* tot erga *Liberos*, in spem reipublicæ ostendendi.

PUB. *Pietatem* in filios *Matribus* præcipue *Natura* parens congeni, immo verius *Author Naturæ DEUS* intra viscera conservit: ut adeo monstro deputanda sit *Mater* in *liberos* impia. Utinam porro bonum hoc semen non usque adeo corrumpere genus certe non bonus, ut fœminæ hodie principes, & nobiles, sive erubescerent, sive fastidirent, lac parvulis suis maternum præbere. Plurimo id certe fit detrimento publicæ rei, virtute sic traduce naturæ multum impedita, ne similes *matribus* bonis *liberi* evadant. Plurimum etenim interest apud *infantes* nutrimenti ratio, uti apud *adolescentes* institutionis, atque consuetudinis socialis: ac longe diversum est, natura quodammodo comparatum esse ad virtutem, vel sola ad eam disciplina compelli. Non durant violenta, fitque pro nimium sæpe, postquam nostri tandem sumus, quod *Poeta* conqueritur: XVI.

Naturam furca expellas, tamen usque redibit.

Quid a filio non impetraret *Mater* regia, si non absimili ad eum oratione uti posset, qua *Alcimus Avitus* aliquando *Matrem* filiaæ suæ supplicentem induxit? Ajebat illa:

*Alcim.
Auit. Lib.
de Castit.
laude.*

Deliciæ mea Gnata meâ, charissima Matri
Pignora grandævæ! per ego has te deprecor ulnas:
Per quæ suxisti primævis UBERA in annis.

Mallem ergo, mereri hodie Matres Principes, ut imagines sibi ponerentur, numo huic consimiles, sed subscripto elogio: PIETAS CHRISTIANA. Tibi interim, Honorande Tulli, gratus animus meus, dum in oculis hominum non potest, quod veteribus Oratoribus atque Poetis cumulate a Populo legimus factum, intra se certe jam multas imagines posuit, nulla oblivione unquam delendas. Etenim non postrema *Pietatis* est species, gratum esse, atque devotum Præceptoribus suis, exemplo M. Alexandri: qui Patri quidem debere se dixit, quod vivat, Præceptoris vero, quod sapiat. *TULL.* Proficis, ut video, Optime Publi, e Numis, quantum eruditione, tantum virtute. Sic perge, tuamque perforce coronam: te ita splendente nunquam ego obscurus evadam.



DIALOGUS V.

De

Symbolis PROVIDENTIAE, PRUDENTIAE, &
SAPIENTIAE in Numis.

PUBLIUS.

- I. **N**Ullum fere laudum Caput in Numis prætermisisse Romanos, quod in Augustis suis vel amarent, vel nesciri ab eis nollent, vel sibi cordi esse, universo coram Mundo profiteri vellent, duodecim numis testibus, qui in Tabula tua II. adhuc residui sunt, abunde disco: tametsi facile mihi insuper persuadeam, multo plures in aliis numis laudari virtutes, qui se mihi inviderunt. *TULL.* Sic est: quam amplus enim est hominis animus, quam multiplex in tot res diversissimas affectus, quam infinita rerum gerendarum in Republica genera: tam

tam multiplex pariter debet Virtutis Disciplina, maxime apud Principes, quæ animo, affectibus, negotiis omnibus rite demum salubriterque moderetur. Et hoc tanto magis, quia *Qualis Rex, talis Grex*. Componitur enim Orbis Regis ad exemplum, quodque cecinit *Claudianus*,

Mobile ¶ mutatur semper cum PRINCIPE vulgus.

*Claudian. de
IV. Consul.
Honor.*

Unde lepidissimus una brevissimusque *Audoënus* ita ad Principes acutissime fatur:

O quanta exemplo generoso in PRINCIPE vis est!

Tu vitando vetas: tu faciendo jubes.

PRINCEPS Principium motus: REX Regula vitæ:

Circumfert cælum sidera: REX populum.

*Audoën.
Epigr. 113*

Sumere sibi olim, inter alia summa Reipublicæ munia, CENSORIS quoque officium, idque *Perpetuum* Augusti: cujus erat, corrigere publicos mores, æstimare singulorum fortunas, omnium ordinum ingenia probare.

Quo respiciens *Plinius* dixit: *Vita PRINCIPIS quid nisi CENSURA PER-*

PETVA? Imitetur ergo Princeps *Alexandrum Severum*, cujus dictum erat,

Lampridio referente: *CENSURAM suis temporibus PRINCEPS de PRO-*

PRIIS MORIBVS gerat. Mereatur quoque, dici sibi posse, quod *La-*

tinus Pacatus de *Theodosio* extulit: *A TE voluisti incipere CENSURAM.*

Turpissimum plane foret, si Principi merito exprobare queat *Ovidius*:

*Plin. Pa-
neg. c. 45.
Lamprid.
in Severo.
Latin. Pa-
cat. Paneg.
c. 13.*

Delicti fies idem Reprehensor, & Auctor.

*Ovid. He-
roid.
Ep. XVII
v. 219.*

Contra vero illud potius Satyrici sibi vendicet:

-- -- -- Felicia tempora, quæ TE

Moribus opponunt! habeat jam Roma pudorem.

*Juven.
Sat. II.
v. 38.*

Neque locum gravi illi *Arnobii* quærimoniæ det, agentis. *Cujus est pudoris, quinimmo inverecundiæ, quod agere TE videas, in eo alterum reprehendere? Maledicti & criminis loco dare ea, quæ in TE possunt reciproca vicissitudine retorqueri?*

*Arnob.
contra
Gent. L. II.*

II.

Quisquis porro reliquas inter virtutes in animo Principis Providentiæ, Prudentiæ præterea, atque Sapientiæ, primas dederit post Píeatem, rite omnino secum statuerit. Cognaræ illæ, nec parvæ sunt DEX. Aristotelem si adierimus, *PRUDENTIA* sola ejus, qui præest, *VIRTUS PROPRIA* est. Illa Animæ Oculus, teste Platone. Unde Ægyptii bonum verumque Principem hieroglyphico *Oculi sceptro impositi* pinxere apud Petrum Tholosanum. Idem namque Reipublicæ est Prudentia Principis, quod corpori oculus. In Principem curæ omnes Imperii recumbunt: ejus ditione, quod ait Plinius, & rectissime monet, *nutuque, maria, terra, pax, bella regi debent. Velocissimi sideris more omnia invisere, omnia audire, & undecunque invocatus, statim velut NVMEN adesse debet & assistere.* Quanta itaque Providentiæ, quanta Prudentiæ, Sapientiæ quanta esse Principem decet? Est porro *Providentiæ rerum*, quæ longe quidem adhuc positæ sunt, sed accidere possunt, sollicita e longinquo contemplatio, ne vel evenire, sive dum venerint, nocere possint. Prudentia est rectum de rebus omnibus judicium, an bonæ, an malæ sint, an prosint, an obsint, an deceant, sive dedeçant, congruaque ad obtinenda bona, propulsanda mala, mediocrum electio. Sapientiæ altioris ordinis esse, & quædam Divinæ Mentis particula videtur, Cognitio nimirum ejus, quod probat, & reprobet mandat & vetat, amat & odit ipse DEUS. Putas, Optime Publi, has tantas Virtutes, quas si Princeps possideat, tum demum verus DEI Vicarius est, exiguæ laudis materiem præbere?

Aristot. III
Polit. c. 4.
Plato in
Alcibiad.
Petr. Tholo-
sanum. de Re-
publ. L. X.
c. 3.
Plin. in
Paneg.

III.

PUB. Summæ profecto, & tantum non Divinæ. Quare jam nullus miror, Providentiæ imprimis typum in tot Numis meis, pari tamen fere semper imaginum cultu, apparere. Elegantem jam Numum Maximiani Herculei antehæ Parte I. Tab. II. n. 16. pinxisti, & exposuisti Dial. IX. n. 12. & 13. In cujus Adversa adstat Imperatori Providentiæ Deorum cum hasta, Orbe imperii symbolo ad pedes adjacente, cum lemmate: PROVIDENTIA DEORVM QUIES AVGVSTORVM. Qua epigraphe mira illa Imperii Abdicatio, a Diocletiano pariter & Maximiano sine tumultu facta, Deorum Providentiæ inscripta fuit. TULL. Sunt nimirum, qui futura rite prospicere tantæ existimant sublimitatis, ut Providentiæ, hominum non esse, sed Deorum Virtutem pronuncient, solam Prudentiam humanæ menti, quæ perfecta sit, apud se largientes. Quibus forte suffragari possit, quod in cæteris DEI perfectionibus, quodque Theologi dicunt, *Attributis, Sapientiæ equidem, & Providentiæ*, non item facile Prudentia laudetur: cujus videlicet in DEO munera Sapientiæ ipsa exequitur. Sed, qui Summum est Bonum, DEUS, nihil ita soli

foli sibi fervavit, quod non etiam homini, ob ingenitam Bonitatem, quodammodo secum commune faciat.

PUB. E cæteris apud me Numis, qui *Providentiam* diserte celebrant, IV. duos pinxisti, sibi mox succedentium Imperatorum *Taciti* ac *Probi*, æris Tab. II. parvi utrosque. In prioris *Adversa* circa caput radiatum lego: IMP.erator. Num. X. *Cæsar. M. arcus. CL. audius. TACITVS. AVGVSTVS.* In *Adversa* stat fœmina, cui Orbis, imperii nota, adjacet ad pedes: illa porro super eundem dextra sua sceptrum extendit, Potestatis supremæ notam, lævo brachio Cornucopiæ tenet. Lemma: PROVIDENTIA. Infra hæ notæ: XX. I. A. denotantes, hunc numum vigesimam assis partem constituisse, signatum in Officina prima Antiochiæ. **TULL.** Feliciter omnia exponis, notas præcipue numerales quod attinet, probe memor eorum, quæ *Parte I. Dial. XIII. n. 8. seqq.* te docui. **PUB.** Numus alter in Antica Protomen habet *Probi*, galeati simul, ac radiante corona cincti, dextra telum, sinistra clypeum gestantis. Epigraphe: VIRTVS PROBI INVICTI. Postica fœminam habet, converso in cælum vultu stantem, quæ dextra extenta globum, læva sceptrum tenet, cum lemmate: PROVIDENTIA AVGVSTI. Infra: S. XX. I. i. e. Sisciæ Officina l. valens Assis partem vigesimam.

Tab. II.
Num. XI.

TULL. Utriusque numi imago & Divinam, & humanam exhibere possit *Providentiam*: quodcunque malis, utrumque rectum. *Prudentia namque facit DEO similes: a quo in hoc solo differunt, quod ille errare non possit, hi nolunt,* ait *Stobeus.* Principum porro, velut DEI, propriam esse *Providentiam*, arguit Orbis, imperii nota, sive in manu hujus fœminæ, sive ad pedes ejus conspicuus: cui & sceptrum, Potestatis supremæ non temere, sed provide gestæ solitus typus, egregie consonat. Nec orbis sine sceptro bene geritur: nec imperare est aliquid, nisi, qui imperat, provide regat. Non stat Orbis feliciter, supra quem sceptrum providi consilii neque vigilat, neque extenditur. Ubi temere agit Princeps, sive felix fuerit, sive infelix, gloriam non refert: prospera enim casu, adversa vero culpa sua evenisse dicuntur. Nullum ibi rebus perditis est remedium, ubi *Prudentia*, quæ a *Providendo* est dicta monente *Tullio*, scopulos non declinat.

V.
Stobeus
Serm. de
Prud.

Cicer. L. r.
de Legib.

VIS, CONSILII expers, mole ruet sua.

Horat.
L. III.
Od. 4.

Male trahitur Republicæ clavus, qui cæco impetu trahitur. Contra bene in priori numo tuo fœmina sceptrum supra Orbem extendens, Cornu-

Anthisth.
apud Aert.
L. VI. c. 1.
nucopiæ insuper gestat. Quoties enim *Providentia* Principis sedet ad clavum, bene navigat Respublica, vigent saluberrime leges, exul est discordia, facile seditio componitur, aut in herba succiditur, Pax regnat, Regniq; pulcherrimus flos, quantum cives solatur, tantum hostes terret, & arcet. Ex tripode olim *Anthistenes* dixit, *Tutissimum esse Murum PROVIDENTIAM*, quod is neque collabitur, neque proditur.

Plutarch.
in Laco-
nism.
Liv. De-
cad. III.
L. II.
VI. Apposite quoque altero in numo fœmina Orbem gestans, ac sceptrum, vultu adstat in cœlum converso. Plurimum quippe fallitur Princeps, qui fato evenire singula credens, segnus est ad clavum: vel e converso suo bona quælibet eventa consilio, suoque labore pendere existimans, DEO non supplicat. Ineptissimus vero ille, qui neque cœlum in vota vocat, neque sua industria utitur. Auscultet omnis, qui imperat, *Plutarcho* referenti, in proverbium abiisse apud Græcos, *admota MANU implorandam esse FORTUNAM*. Uti DEVS & Princeps commune imperium habent, ita & illud communi providentia regant. *Ancum Marcium* quartum Romæ Regem exempli loco principi *Livius* proponit, ut ei medium sit ingenium, sitque *Numæ ac Romuli* memor. Etenim *Numa* cultu erat in Deos præcipuo: *Romulus* vero manu fortissima. Utrumque porro *Ancus Marcius* pectore suo complexus & Religiosus in Deos, & in hostes generosus fuit. Unde bonus Princeps non semper deses inter *Sacella* tantum & *Aras* agat Regnum, sed agenda rite provideat: ante acta vero Numen quoque sedulus imploret. Non recedat a saluberrimo illo *Augusti* decreto, instituentis, ut Patres, priusquam de Bono publico in medium consulerent, singuli ad aram ejus Dei, in cujus templo cogebatur Senatus, thure ac mero supplicarent: quod e *Suetonio* discimus. *Tacitus* interim, ac *Probus*, quorum sunt tui hi numi, hac laude Providentiæ non omnino fuere indigni.*

VII. *PUB.* Obscurior est typus sequentis apud me Denarii argentei, quo puto, *Prudentiam* mihi pingere voluisti. *Adversa Capite Domitiani* ornatur laureato, & inscribitur: IMP. CAES. DOMITIANVS AVG. P. ont. MAX. imus. In *Aversa* sequitur: TR. ibun. P. ot est. COS. ul. VIII. vum. P. at. P. atrix. Medium occupat Anchora, cui *Delphinus* implexus. TULL. Alii cum hoc typo numi jactantur, sed addito lemmate: FESTINALENTE: ab altera parte cum capite *Augusti*, cui hanc gnomam familiarum

* *Providentia* porro neque Græcis in numis omnino hospes, in *Commodi* numo scribitur ΠΡΟΝΟΙΑ. *Spanhem. Tom. I. p. 147.*

rem fuisse dicunt. Sed hi numi, olim chari, hodie cum spuris abjiciuntur. De tuo autem, ut prudenter dubitem, non habeo. Quid porro hic Delphinus anchoræ illigatus vere designet, vix exploratum est: sæpe namque hæc imago, teste *Joberto*, dominium maris, aut mercimoniorum maritimosum facultatem designat. Libet autem ab *Ænea Vico*, aut potius *Comite Zantano* hic stare, qui Prudentiæ typum omnino hoc in numo se vidisse testatur. Quod si ita sit, disciplinæ testis esse videtur argentea hæc tabella, qua Romani imbueri *Domitianum* volebant, non suæ index virtutis; imprudenter enim multa, ut plurima crudelissime egit.

Zant. XII.
Cæss. Arg.
Domit. 4.
Æ Aur. 3.

Prudentiæ interim munus fere præcipuum est, cunctari consilio, agendo festinare, sive deliberare diu, deliberata celeriter exequi: quemadmodum *Delphini* summam agilitatem *Anchoræ* gravitas moderatur. Certe *Hannibal* cunctantem *Fabium* magis timuisse fertur, quam *Marcellum* pugnantem: quia, licet hic sæpius, gravius tamen ille feriebat, ictu nimirum bene ponderato. Medio tamen, in quo virtus consistit, etiam hic suus est locus: mora enim & juvat sæpe, sæpe & nocet. Nota *Ennii* laus de *Fabio*, qui cunctando *Hannibalem* fregit: *Unus homo nobis cunctando restituit rem.* Contra vero in proverbium abiit nimia consultandi apud Romanos mora, dum *Saguntus*, fœderata *Hispaniæ* urbs, adversus *Hannibalem* obsidentem tutanda fuisset, ac dicimus etiamnum: *Dum Romæ consultitur, Saguntus perit.* Cæterum *Delphinus*, quantumvis *Anchora* eum solverimus, multa habet sibi propria, quæ Principi disciplinæ sint. Primum namque amantiſſima hominum fertur hæc bellua, maxime puerorum. Princeps vero, nisi subditos patrio diligit affectu, eorumque parentem se probet, tyrannus certe, non princeps est. Semper *Delphinus* in motu, etiam cum dormit. Superficiem namque fluctuum ambit, quieti se daturus: somno deinde oppressus, suomet pondere in ima subsidit, donec fundo hærens excitetur, rursusque in altum enatet, iterumque subsidat. Ita non aliter, dormire bono Principi datur: quem cura regnorum diu premit & noctu. Vigilet ille, necesse est, ut populi dormiant. Adhæc *Delphinus* maxime iratos inter fluctus, marisque formidandos tumultus, tonante cælo, frementibus undis, jucunde ludit. Princeps animo certe cadere non debet, quacunque parte flat ventus: sed trepidos alios potius animo ipse inconcussus erigere, mediasque rerum adversarum procellas imperterrito gubernaculo undique findere. Nolim ire per singula: cum hæc numo utcunque illustrando sufficiant.

VIII.

PUB. Haud minoris elegantiaæ typo, & inscriptione nobilissima præcellit æris parvi numus, qui apud me est, & a te pictus, *Constantini Mag.* Tab. II. ni: ejus enim & capite, & nomine pars anterior superbit. *Aversa* Aram Num.

exhibet, cui noctua insidet: ad dextram clypeus cubat, galea ad laevam, hastam cerno in fronte. Lemma: SAPIENTIA PRINCIPIS. *Infra:* A. S. quod forte legas: Siscia percussa in Officina prima. Ut elogio hoc non facile aliud illustrius, ita typus eidem maxime congruus. Omnia enim, quæ hic intueor, Minervæ, Jovis, ut fingunt, cerebro natæ, quamque Sapientiæ matrem, nutricem, ac Præsidentem veteres credidere, propria sunt. Noctua eidem familiaris erat avis: galeam ipsa gestabat, quemadmodum umbonem quoque & hastam: Ara deinde tantæ Deæ utique præ omnibus convenit.

X. *TULL.* Recte omnino sensum artificum affectus esse videris: erudere tamen hoc e symbolo sensum profundiorum licebit. Nosti nimirum, hunc Maximum Principem omnium primum e Cæsaribus Crucis signum in throno extulisse. Huic ergo uni ex Antecessoribus omnibus Sapientiæ elogium ex æquo debebatur: Sapientiæ, inquam, quæ rerum altissimarum, Divinarum æque ac humanarum scientia dicitur. Omnia novit, qui DEUM novit. *Constantino* itaque Ara optime congruit, qui veram stabilivit Religionem. Huic clypeus, qui scutum fidei arripuit. Huic Cassis & crista, qui Galeam fuit Salutis. Huic sceptrum & hasta, qui Orbem Romanum DEO subiecit. Sed de bubone quid facimus? Populos in eo intueamur, quos summus hic Princeps idololatriæ nocte reperit involutos, fecitque apud eos de tenebris admirabile fidei lumen splendescere. Hæc demum vera erat Sapiencia, non, ut Minerva, e ridiculo jovis cerebro enata, sed a vero summoque DEO inspirata. Videtur Quiritibus nonnihil hujus mysterii illuxisse, cum in Fornice triumphali Romæ in capite Viæ Appiæ ad Amphitheatrum erecto, ita scriberent, *Maxentio* deleto:

IMP. CAES. FL. *avio* CONSTANTINO MAX. P. *io*.
F. *elici*. AVGVSTO S. P. Q. R.
QVOD INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS. MA-
GNITVDINE. CVM. EXERCITV.
SVO. TAM. DE. TIRANNO. QVAM. DE. OMNI.
EJVS. FACTIONE.
VNO. TEMPORE. IVSTIS. REMPVBLICAM. VL-
TVS. EST. ARMIS.
ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT. LI-
BERATORI. VRBIS. FVNDATORI QVIETIS.

Apud Cl.
Patin. Imp.
p. 371.

Pinxit hunc numum tuum etiam Cl. *Patinus*, unaque deinde cum Ill. *Spanhemio* alterius meminit, qui tamen fit *Constantini Junioris*, pari fere typo, sed cum hoc lemmate ampliori: SAPIENTIA PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI. Hic vere si vero, sapuisset, suo contentus, *Constanti* fratri non tam infeliciter invidisset, ut & sua, & se quoque perderet. *PUB.* Quatuor solummodo Numuli amplam certe nobis philosophiam exhibuerunt. *TULL.* Inde specimen cape, Numos non ad Historiam solum, sed & ad Mores valere.

DIALOGUS VI.

Imagines JUSTITIAE, AEQVITATIS, CLEMENTIAE, MODERATIONIS, CONSTANTIAE in Numis.

PUBLIUS.

Recte omnino post *Sapientiae* illustre elogium, quo superiorem Dialogum concludimus, in proximis Numis *Justitiam* video & *Aequitatem* laudatam. *Aristotele* enim in *Politicis* asserente, JUSTITIA SAPIENTIAE Comes est: & illa quidem Regnum, ceu sol quidam, illuminat, hæc vero in abstrusis rerum difficilium & implicatarum tenebris, veluti Luna, splendescit. Sunt pariter, qui Mundum Politicum *Sapientiam* inter atque *Justitiam* non minus volvi, atque revolvi debere asserunt, si recte consistere velit, atque machina ingens totius Universi Polos inter, Arcticum, atque Antarcticum volutatur. *TULL.* Rite sapis: *Justitia* quippe non *Sapientiam* solum, sed omnem Virtutem ambitu suo complectitur: is namque Justus, qui in nullo demum a Virtute exerrat. *Stateram*, quæ *Justitiae* typus est atque character, ne transsilias, monuit *Pythagoras*, dum ad omnem cohortari Virtutem volebat. Quem *Cicero* exponens, inquit: JUSTITIA, in qua Virtutis splendor est maximus: ex qua cior. L. I. *boni Viri nominantur:* c. 7.

Scriptit nonnemo. Non plus ultra, Principes! METAS vobis JUSTITIA ponit,

Quas ultra, citraque nequit consistere rectum,

Ipsa enim, teste *Platone*, est Fulcrum Civitatum, & prædicante Divo *An-Plato* L. II tisti-

de Leg. S. August. de Civ. Dei L. II. Prov. XXV. Cicer. nude supra, S. August. l. c. Zonar. L. III. Plutarch. Lib. de Doctr. Princ.

tistite Hipponensi, *Unicum Regnorum Columen*. Quid multis? DEO pronunciantem per Sapientem, *Aufer rubiginem de Argento, & egredietur vas purissimum: Aufer impietatem de vultu REGIS, & FIRMABITVR JUSTITIA THRONUS EJVS*. Certe quomodo Regnum florebit, quomodo consistet Imperium exule Justitia? quando, ut Tullius edixit, *nec ii, qui scelere & maleficio pascuntur, possunt sine ulla particula Justitiæ vivere?* Vel latrones, nisi prædam ex æquo diviserint, in se ipsos crudeles. Multo magis, exclamante S. Augustino, & indignante, *Justitia remota, quid sum regna, nisi magna latrocinia?* Quare *Valentinianus Imp.* recte sensit, & scripsit, quod ex *Zonara* discimus: *A Principe nihil magis, quam Justitiam, exigit populus. Justitiam, inquam, sine qua, ut asserere Plutarchus minime dubitavit, Principatum gerere ne Jupiter quidem ipse posset.* PUB. Colligo jam abunde tot e gravibus sententiis, quanta sit *Justitiæ dignitas pariter & necessitas* apud eos, qui præsent: ut adeo *Quirites*, dum omnem prope philosophiam morum ære suo vulgarunt, *Justitiam sane, & Æquitatem præterire minime debuerint.* Numos ergo hujusmodi præconiis insignes contemlemur, quorum tu tres, æreos apud me omnes, & mediæ formæ, e pluribus, quos teneo selegisti.

III. Tab. III. Num. XIV

Primus eorum est *Tiberii Imperatoris*, in *Adversa* Caput fœmineum redhibens, crinibus pulchre subligatis, cum fustigiolo imposito, quod gemmis ornatur. Subscribitur: *JUSTITIA*. *Aversæ* mediam aream occupant literæ grandiores: *S. C. Circum legitur: Tiberius. CAESAR. DIVI AVG. usti. F.ilius. AVG.usti. P.ont. M.ax. TR.ibun. POT.estate. XXIII. tum.* Memini vero probe, quæ de hoc, & altero vere consimili numo, ubi Capiti subscriptum: *SALVS AVGVSTA: monueras Part. I. Dial. XIV. n. 5.* nimirum in diversa ire Eruditos: cum pars eorum existimet, *Liviam, Matrem Tiberii* adoptivam, alii vero ipsam *Salutem*: ipsamque *Justitiam* hic depingi arbitrentur. *TULL.* Sufficiat tibi præsens ad institutum, tametsi nullum in hoc numo *Justitiæ* symbolum, sive tessera occurrat, nomen tamen ejus diserte adscriptum esse. Deinde: vel *Tiberium*, vaserrimum Principem, quique in folio virtutes omnes, & vitia miscuit, carere non voluisse elogio saltem *Justitiæ*, quantumvis ab ipsa virtute plurimum recederet: vel *Senatum*, cujus *Consulto* hic numus est editus, tam vario Principi suo, *Justitiam* tandem æqua lance ut fervet, suadere conatum esse. Quantum porro commendari a *Justitia* promeruerit *Tiberius*, ex hoc epigrammate, in eum decantato, dum adhuc imperaret, penitus discè.

* * *

Aurea mutaſti Saturni Secula, Cæſar :
 Incolumi nam te *ferrea* ſemper erunt.
 Faſtidit *vinum*, quia jam ſitit iſte *cruorem*:
 Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.
 Adſpice *felicem* ſibi, non tibi, Romule, *Sullam*,
 Et *Marium*, ſi vis, adſpice, ſed reducem.
 Nec non *Antoni* Civilia bella moventis,
 Nec ſemel infectas adſpice cæde manus.
 Et dic : Roma perit. *Regnabit ſanguine multo*,
 Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Cui Poemati, a ſe adducto, ſubdit *Suetonius*. ” Quæ primo quaſi ab
 ” impatientibus Romæ dominii, ac non tam ex animi ſententia, quam
 ” bile & ſtomacho fingerentur, volebat accipi. Dicebatque identidem:
 ” *Oderint, dum probent*. Deinde vero, planeque certa eſſe, ipſe fecit
 fidem. ” Vibrat quidem enſem *Juſtitia*, & percutit gladio: at ſolos no-
 centes. *Feliciores* namque, quod *Boetius* docet, ſunt improbi, *ſupplicia*
Lentes, quam ſi eos nulla *Juſtitia* pœna coerceat. Sanguinem vero ſitire *Juſti-*
tia non eſt, ſed tyrannidis.

Sueton in
Tiber. c.
56.

Boet. de
Conſul.
L. IV.
prof. 4.

Nonnullum tamen *Juſtitia* teſtimonium perhibet Græcus ille, & in-
 ſignis Numus, quem ab aliis jam vulgatum, commemorat Ill. *Spanhe-*
mius: hinc cum capite *Tiberii*, & titulis inde cum *Libra*, cujus lances
 omnino æquæ, & circum quas legitur: ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ
 ΚΟΤΥΟΣ: i. e. REGINA PYTHODORIS COTYOS. Prædicat enim
Libra in hoc numo *Tiberii Juſtitiam*, huic *Reginæ* ab eo impenſam, poſt-
 quam maritus ejus *Cotys*, quintus hujus nominis *Thracum Rex*, a *Rhe-*
ſcuporide per fraudem occiſus fuiſſet, ut latro Romæ in Senatu dam-
 naretur, & *Alexandriam* delatus, capite ibidem lueret. Docet porro
 ibidem *Vir idem Illuſtriſſimus*, *Juſtitiam* alias Romanis in Numis occurre-
 re imagine fæminæ, ſtantis cum patera, & haſta, addito nomine:
 JUSTITIA: uti in numis *Nervæ*, *Hadriani*, *Pii*, *Severi*, atque *Ale-*
xandri Severi, quorum tu nullum poſſides. Græcos vero numos eam ſem-
 per ſiſtere cum bilance, adſcripto nomine: ΔΙΚΑΙΟΕΥΝΗ

IV.
Spanhem.
Tom. I.
p. 146.

V. *PVB.* Bilancem diligenter video in numis sequentibus, qui elogium referunt *Æquitatis*. *TULL.* Hodie quidem fere promiscue *Justitia* dicimus, sive *Æquitas*: Quirites vero inter utramque destinxisse, non minus, ac Græcos, vel Numi probant. Videtur proinde *Justitia* innuere ipsam animi Virtutem, ac constantem illam perpetuamque Voluntatem, Jus suum cuique tribuendi. Unde, quod mox antea *Ill. Spanhemius* nos monuit, illa sœminæ, pateram hastamque gerentis, imagine, proinde veluti Dea, in numis exhibetur, sicut & cæteræ Virtutes, causam hanc reddente *Cicerone* apud *Rosinum*, nimirum: *Ut illas qui habeant (habent autem omnes boni) Deos ipsos in animis suis collocatos putent.* Contra vero *Æquitas* non tam ipsa est animi Virtus, quam usus ejusdem, & exercitium, seu actu servata in rebus, quæ judicio subsunt, proportio, sine excessu, & injuria seclula. Quæ proinde *Æquitas*, etiam extra *Justitiæ* forum, multis in artibus locum habet: cum artefacta plurima laude, & bonitate, immo & utilitate sua carerent, nisi æqua partium ad invicem proportio servata esset.

Rosin. Anti. quit. Rom L. II. c. 18

Tab. II. Nu. XV. & XVI.

Spanhem. Tom I. p. 149.

PVB. Prudenter discernis: ego porro numos a te pictos enarro. Prioris *Adversam* ornat Caput *Hadriani* barbaturum, & laureatum, solumque nomen. *HADRIANVS AVGVSTVS.* In *Aversa* fiat sœmina, hastam læva, dextra bilancem gestans: penes: S. C. circum lego: *AEQVITAS AVGVSTI.* Alter hinc cum capite ac titulis *Cordiani* Nepotis, inde pariter sœminam exhibet stantem, quæ præter bilancem, hastæ loco, lævo brachio *Cornucopiæ* sustinet. *Lemma* idem, quod *Prius.* *TULL.* Laudat *Ill. Spanhemius* singularem *Vespasiani* numum, in quo *Æquitas* descripta, atque aditans, bilancem habet, ac sceptrum.

VI.

Et hasta quidem, sicut & sceptrum, potestatem ejus, qui munere suo *Justitiam* administrare debet, liquido indicat, quia nemo facile judicem sustinet, nisi superiorem. Bilanx vero, qua rerum omnium pondera exploramus, exquisitus est *Justitiæ*, actu, quæ justa sunt, discernentis, ac naturalis quodammodo typus: quodcunque ejusdem munus consideres. Vel enim *Leges* dicat, ponderandum certe, quid æquum, quid vero iniquum sit præcipere: quid ferre subditorum humeri possint, quid ferre recusent disciplinæ. Vel *Munera* distribuit, & explorandum est, quinam digni, quinam indigni, apti, vel inepti, merita quoque cum præmiis conferenda. Vel *crimina* vindicat, & pœnæ culpis commensurandæ sunt: locus, modus, ac forma delicti, cum loco, modo, formaque supplicii rite coræquanda. Vel demum res commutat cum rebus, par certe & impar mercis cum merce, aut pretio, lucri cum damno conditio justo examine discernenda est. Frustra tamen est Princeps, in cujus numis duntaxat

Æqui-

Æquitatis imago bilancem præ se fert. Illa demum Beata Respublica, Horatio teste, cujus Principi *plenum AEQVI est PONDERIS Pæctus*. Hic demum sceptrum, sive hastam supremæ suæ potestatis ita feliciter geret, ut libertatem omnium legibus salubriter circumscribat, omnium licentiam pœnis justis coerceat. Quod si fecerit, Cornucopiæ tenebit, quod sibi pariter, ac civibus pulcherrimos spondeat simul, & tribuat, atque aureos fructus: qui certe in Rempublicam, ubi *Justitia* vigent, & *Æquitas*, jugiter, cumulateque promanant. Ubi etenim illa suum cuique tribuere libere finitur, Pax, Concordia, Pietas regnant: fraus porro, lis, & vis, injuria, discordia undique exulant. Benedicit ex alto DEUS: laudatur, amatur, & timetur Princeps; lætantur cives, repellitur hostis, Respublica & Imperium æterno flore convalescunt.

PUB. Quam multa hæctenus laude *Justitiam* extulisti, tanta nunc utique *Clementiam* pariter, sequentibus in numis spectabilem, dignabere, melleam omnibus, omnibus amabilem. TULL. Felices cives, quorum Princeps *Justitiam* inter, atque *Clementiam*, ita medius confidet, ut vindicem criminum ense, ab illa porrectum, ne nimium sæviat, contineri sinat ab ista, mitique oliva vinciri. Committere non debet, qui imperat, ut *impunitatis spes*, maxima peccandi illecebra, quod ait Cicero, bonos ad scelera, malos ad deteriora proritet: sed inanem spem *Clementie* vincat *salutaris Severitas*. Noverit tamen Princeps, & a Philosopho discat Romano: Quod tam omnibus ignoscere crudelitas sit, quam nulli, quodque idem asserit, Principi non minus turpia fiat multa supplicia quam Medico multa funera. Remissius imperanti melius paretur. VII.

Cicer Epistolæ ad M. Brutum L. XI. § Idem pro Milone. Seneca de Clem. L. 1. c. 5. Id. ibid. c. 24. Lips. Mo. nit. § Exempl. Polit. c. 12

Clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur & dignam putat civitas, quam servet sibi. Sapientissimo huic Morum Magistro adstipulatur & Lipsius, subscribens: *Verecundiam peccandi facit ipsa Clementia regentis.* Quare parcendi potius, quam nocendi officium teneat Princeps: nam probatissima regni Moneta est *Clementia*, qua subditorum animos mereatur. In ore Jovis de quo Poeta:

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit:

Apes mellificasse finxerunt vates, ut officii sui Principem commonerent: ne scilicet amaro sit animo, sed verba in ore ejus plerumque dulcescant Regem certe apicularum natura parens neque sævum voluit, neque ulter-

rem, sed inermem, ut mellea Respublica non timeat sed amet: quæ proinde perire mavult, quam sine Rege esse, quem novit esse sine aculeo.

VIII.

Alexand.
ab Alex.
Genial.
Dier. L.
III. c. 5.
Seneca un-
de supra.

Nonne securis Romana, ut ne crebrius feriat, fascibus constricta est: tametsi, ut terreat, eminet in sublimi? Draconis Severitas, qui, Demadis iudicio Lacedæmoniis sanguine, non atramento, leges scripsit, etiamnum in historia damnatur, eo quod minima delicta pœna capitis ulcisci iusserit. Neque Atheniensium Severitas laudem tulit, nulli delicto spem veniæ permittens. Uti igitur fulmina paucorum periculo cadunt, omnium vero metu cum Seneca concludo, sic animadversiones Magnarum Potestatum terreant latius, quam noceant. Et sic demum Princeps Justitiam inter atque Clementiam integro honore consistet. PUB. Ubique elegans es, atque facundus. At vero geminorum, quos pinxisti, numorum, Clementiam laudantium, neutrum apud me video. TULL. Ne tam nobilem Virtutem Quiritibus putares neglectam, fide Antonii Comitæ Zantani priorem tibi Numum depinxi ad ideam Æneæ Vici, quam proposui Auro Vitellii 2do. Exornabat indubie Adversum Caput Vitellii laureatum ac nomen. In Aversa fœmina sedet, dextra olæ Ramum, ut vero simillimum videtur, Clementiæ nimirum, uti & Pacis symbolum, porrigens, læva hastam, imperii notam, & divinitatis, sustinens. Lemma: CLEMENTIA. IMP. eratotis. GERMANICI Hoc enim cognomine appellari voluit Vitellius, ab Exercitibus in Germania pugnantibus Imperator salutatus. Parem Clementiæ imaginem, etsi lemmate non adjecto, agnovit Zantanus etiam in numo Tiberii.

Tab. II.
N. XVII.

IX.

Tab. II,
N. XVIII.
Patin. Imp.
p. 50.

Quem vero postea pinxi ejusdem numum medii æris, idem Zantanus pariter sistit sine Aversa, Caput utique, ac Titulos Tiberii referente. Aversa, quod quidem eundem hunc numum pingens existimat Cl. Patin. nus, facta est ad exemplum scuti illius aurei, quod inter alia Tiberius in Capitolio suspendit. Parmæ certe simillima figura est, opere anaglypho atque fusorio eleganter elaboratæ: cujus medium parvula, ut videtur, Clementiæ tenet imago, capite muliebri velato, intra sertum, si recte videam, oleagineum. Extra illud explicati veluti heliotropii apparet forma: ultimam & amplissimam oram artificis ingenium pro libitu ornavit. Penes parvam lego: S. C. supra scribitur: CLEMENTIÆ. Huic porro Virtuti præ Oliva nil melius quadrat: quæ videlicet, sicut oleum corpora, ita animos hominum fovet, lenit, & molliter, atque suavissime inungit. Neque a Clementiæ typo Heliotropium valde abludit, si illud hic rite agnoscam. Quomodo namque flos iste aurei coloris, ad solem se semper convertit, inde nonnullis Solsequium dictus: ita Clementia præ

præ virtutibus omnibus Principis, ad quem alias non nisi cum timore acceditur, in oculos subditorum incurrit, eorumque ad se animos rapit.

Tiberium interim & *Suetonius*, variis eam in rem adductis clementer factis, & *Dio Cassius* a *Clementia* laudant: posterior tamen hoc epiphonema subjungit. *Sed hæc ab eo ita sunt acta, quamdiu in vivis mansit Germanicus: eo autem defuncto plurimum immutatus est.* Timuisse nimirum creditur, ne *Germanicus*, veluti Princeps integerrimis ac excellentibus moribus, Principatui suo immineret. *Vitellius* quomodo *Clementie* præconium mereri potuerit, ægre dispicio. Interim verius nihil, quam illa *M. Aurelii* sententia, referente *Vulcatio*, ab eo ad *Faustinam* conjugem aliquando in Epistola hoc modo perscripta. *Non enim quidquam est, quod imperatorem Romanum melius commendet Gentibus, quam CLEMENTIA.* Hæc *CAESAREM* Deum fecit: hæc *AVGVSTVM* consecravit: hæc Patrem tuum imprimis *PII* nomine ornavit. Quem in sensum *Claudianum* quoque Poetam ita alicubi cecinisse legimus:

Sis PIVS imprimis: nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat CLEMENTIA nobis:

Quid multis? Ita Principes boni *Clementiam* propriam sibi rebantur, ut non modo veteres *Augusti*, quod *III. Spanhemius* quamplurimis testimoniis obfirmat, *Pietatis, Clementie, Mansuetudinis* cognomina sibi assumerent, scribentes v. c. *Præcipua est NOSTRA PIETATIS intentio: Placuit CLEMENTIAE NOSTRAE* &c. Verum etiam recepto hodie more summi etiam Principes nostri *Clementissimi* appellitentur. *Regia Lex est, quod Tacitus* pronunciat, ut Princeps non *Dominationem, & servos, sed RECTOREM, & CIVES* cogitet. Quo fiet, ut cum omnibus suis, quasi *CVM LIBERIS PARENS*, mitissime vivat: quod de *Trojano* olim *Plinius* prædicavit.

PUB. Simillimus ferme numo exposito est, qui proxime sequitur, apud me denuo non exstans. Rursum namque in *Aversa*, quam solam pinxisti, veluti parma conspicitur, in medio parvulam fœminæ imaginunculam exhibens, circa quam *Rosa* se quodammodo explicat, oleæ forsitan ferto denuo cincta. Penes: S. C. sup a: MODERATIONI. Hujus quoque *Virtutis* laudes a te exspecto: belle namque me undique doces, non parvi esse, sed maximi ponderis singula in numis, totque diversissima Principum elogia. *TULL.* Aeris medii, uti prior, est hic etiam numus, atque *Tiberii* pariter vultu, titulisque illustris: quem dudum antea *CI. Patinus* vulgavit, idem sentiens, quod de anteriore, exemplum eum videl. esse scuti aurei in *Capitolio* dedicati. Et de *Tiberio* quidem *Dio* alicubi scripsit: *Æqualitati in omnibus rebus studebat.* - - - Aliquamdiu mo-

X.
Sueton. in Tiber. c. 53. Dio Cass. Libr. LVII
Vulcat. in Avid. Cass. c. 11.
Claud. de IV. Consul. Honor. v. 275.

Spanhem. Tom. II. p. 437.

Tacit. Annal. L. XII c. 2. Plin. Panegy. c. 21.

XI.
Tab. II.
N. XIX.

Patin. Imp. p. 50. Dio Libr. LVII.

deratissime vixit. Sed bene cœpisse quid proderit, nisi congruus etiã finis concluderit? Speciem præbere Virtutis, non est Virtutem tenere. *Moderatio*, quam alio nomine *Temperantiam* hodie ajunt, vel etiam *Discretionem*, tanti est in Principis vita momenti, ut sine hac cæteras omnes ejusdem virtutes quodammodo ruere necesse sit. Cum etenim virtus in medio consistat, quocunque Princeps deflexerit, sive ad effectum, sive ad excessum, Regiam deserit viam, & errat. Quemadmodum canente *Claudio*,
Claud. de
IV. Consul.
Hon.

-- -- -- -- -- limite Phœbus
 Contentus medio, contentus litore Pontus:

ita & Princeps, *Moderatione* magistra, non nisi *medio tutissimus*, ita & clarissimus *ibit*. Imperantis est, *Sinesio* doctissimo Præfule sapienter suadente, cum *Auctoritate* plurimum possit, *sola quæque honestissima velle*. Non ab similitè sensit Imp. *Julianus* Principi præscribens: *Non uti potentia sua ad quævis: ac libere professus: Eundem non tantum egere Consilio, sed MODERATIONE* quoque in exequendis eis, quæ sunt constituta. Nimirum *CONTINENTIA & MODERATIO*, quod *Curtius* admonuit, in altissima quæ *Fortuna EMINENTIA BONA*: tanto vero melior, quia ex *Herodiani* sententia, *maxime difficile, IN MAXIMA LICENTIA SIBI MODERARI*. Flumini similis Princeps, cum eodem fluat, non effluat: ac rotæ in morem currat, non tamen extra orbitam. Si præmia, si beneficia dispensanda, veluti Fons, neque neget, neque prodigat. Si pœna sumenda sit, iram cum *Monocerote* præ oculis ferat. Si leges ponendæ, *Philostratum* audiat, ita *Vespasiano* Imperatori olim loquentem: *Rex, tibi etiam Lex dominetur: eris enim in illis dandis modestior, si tu quoque illas non contemseris. Sic semper Moderata durabunt.*
Sines.
Ep. 57.
Julian.
Imp. Li.
bell. de
Regno.
Curt. in
Alex. L. VI
Herodiam.
Philostrat.
L. V.

XII. PUB. Superfunt nobis adhuc *Constantiæ* laudes, quæ in postremo hujus Tabulæ numo *Claudii* Imperatoris apud me æreo magno comparet. Num. XX. Caput ejus laureatum in *Adversa* ninet, cum titulis: *Tiberius. CLAUDIUS CAES. ar. AVG.ustus. P.ont. M. ax. TR.ibun. POT.estate. IMP.erator. P. at. P. atrix.* In *Adversa* fœmina insidet fellæ curuli, speculantis in morem dextram nonnihil elevans, indicemque digitum veluti fronti apponens: læva quieta nihil agit, aut gestat. Lemma: *CONSTANTIAE AVGVSTI. Penes S. en. C. onsulato. TULL.* Pingi per *Æneam Vicum* hanc eandem *Adverse* imaginem curavit etiam *Com. Zantanus Aur. Claud. 3.* Ast ære ejusdem 6^{to} *Constantiam* alio habitu exhibet, fœminæ nimirum generose stantis, capite galeato, cumque chlamyde, sinistra hastam gerentis, dextram porro, ut tuo in numo, attollentis, cum lemmate eodem. *PUB.* Hodie *Constantia* passim pingi, ut arbitror solet, cum columna, quam
 five

sive amplectitur, sive eidem innititur: uti *Fortitudo* cum columna, quam humeris gestat. Hæ ambæ vero nonne sorores sunt? *TULL.* Sunt certe, ut *Justitia*, & *æquitas*. *Constantia* namque est firmitas animi inter adversa: *Fortitudo* est rerum ac discriminum difficilium generosa aggressio, atque Repulsio. *PUB.* Quo jure vero *Constantia* in numos *Claudii* immigravit, inertis, ut ajunt, Principis? *TULL.* Vix demum id ipse intellego. *Suetonius* certe de eo jam regnante: *Nihil æque, quam timidus ac diffidens fuit.* Id, quod multis timidissime actis confirmat. Non ita *Constantia* agere consuevit: quæ in numis galeato capite, & hasta armatam se, & expeditam in res difficiles, standoque, sive sedendo obfirmatam ad durandum in adversis, non trepidam, & profugam demonstrat. Dum porro dextram attollens, digito indice frontem, speculantium more, veluti fodicat, atque ingenium excitat, idem forsitan se se agere probat, quod *Theſeus* apud *Euripidem* se actitasse his versibus fatetur.

*Sueton. in
Claud. c. 35.*

Futuras mecum commentabar misérias:

Aut mortem acerbam, aut exilii inæstam fugam,

Aut semper aliquam molem meditabar mali:

Ut, si qua inveſta diritas casu foret,

Ne me imparatum cura laceraret recens.

Amazones sunt nempe *Fortuna* æque, ac *Constantia*: manus dum conferunt, cælo præbent, mundoque spectaculum. *Quid enim majus ac fortius, alicubi Seneca* interrogat, *quam malam fortunam retundere?* Erubescit hæc *Penthesilea*, judicatque indignum, idem ait, a quo aliquando vinceretur, quæ ignavissimum quemque refugit. - *Pudet Fortunam congregi cum homine vinci parato.* Quod si *Fortuna*, etiam dum succumbere cogitat, imbelles respuit, *Constantia*, quæ vincere decernit triumphis assueta, quantum non animum poscit? *CONSTANTEM* volumus quemdam dudum *Cicero* ajebat, *sedatum, gravem, humana omnia prementem illum esse, quem magnanimum & fortem virum dicimus.* *Talis autem nec mærens, nec timens quisquam esse potest.* Gravis porro cum *Fortuna* ante omnia est *Principum* lucta, in quibus ut fortis vices nunquam mediocres sunt, ita & casus, magno quippe e fastigio, magnam post se trahunt ruinam. Bene *Synesius* dixit, *Plebeos instar folii Reges instar plumbi cadere solere.* Egregium sane documentum est, quod e theatro *Principibus* occidit *Jocasta*:

-- -- -- Regium hoc ipsum reor,
Adversa capere, quoque sit dubius magis
Status, & cadentis imperii moles labat,

XIII.

*Senec. de
Clem. L. I.
Id. de Pro-
vid. c. 3.*

*Cicero. Tu-
sculan.
Quest.
L. IV.*

*Synes. de
Regn. ad
Arcad.*

*Apud Se-
nec. in
Oedip.
Act. I.*

Hoc

Hoc stare certo pressius FORTEM gradu.
Haud est virile, terga fortunæ dare.

Verumtamen necdum fatis, constanter perpeti adversa. Scenam non raro mutat Fortuna, & quæ Amazon ante fuit, subito Sirenem induit. Aurea erat Oratio, qua apud Tacitum adoptatum a se Pisonem Galba infurxit, inter alia aiens. *Fortunam adhuc tantum adversam tulisti: Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant. Quia miserix tolerantur: felicitate corrumpimur.* Breve est, sed nobile Porandri Corinthii consilium: *Si fortuna juvat, caveto tolli. Si fortuna tonat, caveto mergi.* Neque immerito vult Statius, Principem

Tranquillum vultu, sed Majestate serena,
Mulcentem radios, submittentemque modeste.

Nempe, ut Latinus Pocatus provide hortatur, *superbia est indiscreta felicitatis pedissequa, & vix cuiquam contigit abundare fortuna, & indigere arrogantia.* Quem ergo tandem vera Constantix laude impertimur? Sententiam dicat, chorumque sacro poemate claudat D. Gregorius N. æ anzenus.

S. Gregor.
Naz. Sentent. L. I.

Mœror, Voluptas, Dedecus, Penuria,
Opes, Honor, ferocitas, metus, throri,
Sicut volunt, eant, fluant: nihil VIRI
Hæc fluxa CONSTANT S movent animum.

XIV. PUB. Nobiles præ cæteris omnibus hunc, & priorem Dialogum tuum merito veneror, Honorande Tulli, qui Ethicæ præcepta unice colo. His enim Principum summas virtutes e Numis mihi prælegens, faces una mihi ardentes subdidisti, ad eas pro modulo meo jugi certe contentione undique confectandas. Eant, qui numos sedulo prudenterque versatos salubris disciplinæ abinde hauriendæ debito præconio fraudant, mereque ac vanæ damnant curiositatis. Anne utilior Principibus possit, & illustribus animis lectio proponi? TULL. Subscribit postremis his dictis tuis Ill. Spanhemius, inquires. *Ista Princeps non a Doctoribus, intempestivæ nonnunquam, & inanis ut plurimum Sapientiæ, nullo certe publici muneris usu aliquando institutis, hauriat: sed audiat a Patribus, ex quibus Augusti nascebantur, ab universo illo Ordine, cujus Consiliis Æternæ Urbis incolumitas firmata est, æri videat incisa perpetuis Senatus Consultis: nec unquam cogitet de abolendis sanctis illis, & immotis Principatus sui Legibus. Sciat denique, salutarem Monetam inservire promiscuis*

Spanhem.
Tom. I.
p. 161.

singu-

singulorum usibus, & per eam officii sui partes ab omnibus ex æquo re-
posci intelligat, qui *Horatio* prudentes obtemperant, monenti:

I nunc, ARGENTVM, & Marmor vetus, AERA-
QVE, & Artes *Horat. L.*
V. Ep. VI.
V. 17.

Suspice!

Mihi porro de aliis Virtutibus, quæ ad hanc quidem Partem nostram se-
cundam spectent, ære Romano signatis hand constat: nisi quod FIDES
quandoque, & TRANQVILLITAS in numis celebretur. Sed hanc po-
siremam sive ad *Clementiam*, sive ad *Moderationem*, sive ad *Constantiam*
redukeris facile. *Fides Augusta* plerumque cum eorum in patriam *Pietate*
atque Amore coincidit, uti & *Fides*, quod aliquando scribitur, Publica,
vicissim cum amore patriæ in Principem. *Militum* porro & *Exercituum*
Fides, crebra in numis, aliud sibi forum deposcitur. PVB. Tua vero in me
Fides, Tulli optime, non ære quidem, neque argento neque auro signata, sed
cordi meo inscripta, æviternum apud me virtutis tuæ monumentum existet.

DIALOGUS VII.

De

Elogio PRINCIPIS IVENTVTIS in Numis de-
scripto.

TULLIVS.

A Virtutibus AVGVSTORVM ad *Beneficia*, quæ illi domi quidem I.
in Republicam contulere, vertit jam Ordo noster: quamquam
& ipsa eorum *Beneficentiam*, qua cæteras exercuere virtutes,
inque se inhabitare palam testati sunt, virtutis utique nomen
& ipsa etiã promereatur. Quemadmodum autem primum ac præcipuum
fere *Gloriæ Augustæ* caput esse creditur: ita etiã ante omnia fere cæte-
ra Beneficiorum Augustorum genera ardentissimis sane votis poscitur a po-
pulo, & amplissimis accipitur gaudiis, suffragante omnium Temporum,
& Gentium historia, si Boni Principes sive *Filios* ex se genitos, sive ma-
tura prudentique *adoptione* assumptos, Republicæ tradant, *similes sibi*,
Summæ suæ fortunæ id non immerito deputant subditi. Spe namque
demulcentur, fore, ut in *Filios*, & virtus, & gloria Patrum ubertim
transcurrant: qua deinde fiducia solantur luctum suum, quod & Principi-
bus mortalibus esse statutum sit, atque fidem ineunt, Fortunam Republicæ

Pars II.

I

licæ

licæ, quam mors Augusti Parentis alias convelleret, Filii virtute iterum iterumque instaurandam esse. *Ovidius* certe rei hujus luculentum vadem se omnibus sistit, aperte professus, nihil a *Julio Cæsare* actum esse gloriosius, quamquam triumphis suis universum orbem compleverit, atque Adoptionem Octavii, postea cum novo *Augusti* nomine imperantis. Canit enim in *Metamorphosi* Cæsaris, stellam crinitam a morte induentis:

- - - - Nec enim de CAESARIS actis
Utrum majus opus, quam quod PATER exstitit
HVJVS.

II.

PVB. Sic populis, Regnisque omnibus semper & undique contingere, quam bonum foret, quamque beatum! Ast vero nimium sæpe hæc aurea spes, vel præcoci juvenum Principum morte, vel degeneri a Patribus animo, penitus cassâ evadit. TVLL. Ignaros futuri homines subito nihilominus hujusmodi fiducia delinit, & fallit. Plurimis hujusmodi inanibus hominum spebus vafer ille *Lucianus* dudum suam, si nosti sic dictam *Navim* implevit, Dialogos puto, a se confictos, quibus irrita plurium *Vota* irrisit: adeo tamen multis jucunda, ut, quasi præsentia haberent, quæ optant, dies nonnunquam totos, ac noctes, dulci eorum contemplatione infumant. Semper hoc navigio alii & alii remigant, quantæ cunque enim spes fallant, aliæ ex aliis denuo subnascuntur, quæ nova veluti ambrosia animos imbuunt. Sperare omnium est, quorum est vivere, idque provisum quodammodo videtur a superis, ut res illas, quæ nunquam beabunt, spe tamen atque animo præcipere ita possimus, ut ad horam non minus, ac rebus ipsis, imaginatione earum deliciemur. Idem proinde agunt & populi, quamprimum eis fortuna propitia vel tenellum Boni Principis Filium in cunas reponit, usurpantes sibi verba illa *Anatæ*, Regis *Latini* conjugis, ad filium *Tiurnum*, quibus eum a decretoria cum *Ænea* pugna dehortari volebat, eidem supplicans:

- - - - Spes tu nunc una senectæ,
Tu requies miseræ: Decus, Imperiumque Latini
Te penes: in TE omnis DOMVS INCLINATA RE-
CVMBIT.

Virgil.
Æneid.
XII. v. 57.
seqq.

PVB. Nempe ita miseri sumus, ut non tantum nocte concubia, sed plena insuper meridie somnia agamus. Tu vero ad *Principis Juventutis* elogium exponendum jam tandem accede.

TVLL.

TVLL. Satis jam ex me Parte priori audisti, Augustos Romano-
rum Monarchas suprema omnia Munera, quæ Libera Republica in plures
disparta erant, jure, vel injuria, sibi solis vindicasse, ut in omnibus
omnia possent. Pari auctoritate Filiis suis hujusmodi Honorum
culmina contulerunt, quæ quidem Augustam infra Dignitatem consistere-
rent: privatorum tamen omnium subsellia antecellerent. Aut si quæ
olim apud alios fuit, sive Muneris, sive Tituli prærogativa,
quæ Augustam non decuit Majestatem, cæteris tamen ademptam, in Li-
beros saltem suos translulerunt. Talis etiam fuit præ eminentia *Principis*
Juventutis, qua, ut soli deinceps fulgerent Filii sui, volebant Augusti:
sed ut claritate majori id fieret, longiusque a specie violentæ usurpatio-
nis abesset, ita Senatus Consulto decerni testibusque illico numis in Orbem vul-
gari callide adlaborarunt. Patere hinc facile omnibus poterat, dum Au-
gustis aut Filius, aut Nepos, aut Frater superesset, nemini cæterorum
elogii hujus adipiscendi fiduciam ultra jam esse debere. PVB. Ast vero
in *Principe Juventutis* quid ego illustre intelligam? Unde domo hoc No-
men? TVLL. Natum fere cum Roma creditur: neque tamen tam subito
fuit, ac postea, splendidum. Jam *Romulo* superstite, a Patribus, tan-
quam a *Senioribus*, dictus est *Senatus*, cujus erat, Consiliis Rempubli-
cam juvare. Filiis vero eorum impositum, ut Urbem armis tuerentur,
eisque pugnarent; qui abinde Equites dicti, ætatis vero florentis cau-
sa junctim appellabantur *Juventus*. Hi cum quarto semper anno iustra-
rentur, ac censerentur: is, cujus nomen omnium primum a Censore ex indice
lectum est, dictus fuit *Princeps Juventutis*, seu *Equitum primus*, nulla fe-
re alioquin prærogativa ornatus.

III.

PVB. Quo vero pacto dignius postea hoc nomen effectum? TVLL.
Urbe jam potentia ac civibus crescente, *Ordo* cœpit *Equestris*, sive
Nobilium: cui tamen primo inditum *Juventutis* nomen perpetuo adhæsit,
tametsi horum Nobilium multi jam non juvenes forent, sed senes pro-
vecti. In his omnium primus denuo erat *Princeps Juventutis*, tanto vero
splendidior illo priori Novæ adhuc Urbis, quantum hic *Ordo Equestris*,
solis Nobilibus constans, illi veteri atque promiscuo Equitatu præcel-
luit. Populo autem Romano in immensum adaucto, Nobilium omnium
filii *Principes Juventutis* salutabantur, quasi quilibet eorum singulis tur-
mis juvenum plebeiorum anteiret. Unde *Perseus* apud *Livium* de Roma-
nis loquens agebat: *Equites enim illis PRINCEPES JUVENTUTIS: Equi-*
tes SEMINARIUM SENATUS. Ubi per Equites intelliguntur omnes
nobiles, qui *Ordinem Equestrum* componebant. *Seminarium Senatus* ap-
pel-

IV.

Liv.
L. XLII.
c. 61.

pellantur, quia ex iis legebatur Senatus. Quod ut rectius demum fieret, *Sueton. in Aug. c. 38.* *Juvenesque celerius Reipublicæ assuescerent*, ait *Suetonius*, Senatorum filii *Augustus* indulfit, qui ad discrimen a plebeis *Equites illustres* audiebant, ut jam *Senatorium Ordinem*, non tamen *Senatum*, constituerent, moxque a summa virili toga, *latum clavum* gestare, & *Senatus Consultis*, sine tamen suffragiis, interesse eisdem liceret. Quantumvis autem hoc pacto nobiles omnes *Equites*, ut dictum, plebeiorum intuitu, dicerentur *Principes Juventutis* participatione nominis, unus tamen ac præcipuus omnium, universæ cæteræ *Equestris* ac nobilis *Juventutis* erat *Princeps*, & *Antesignanus*.

V. PVB. Obsecro, *latum clavum*, de quo ante ajebas, mihi expone. TVLL. *Clavi* nomine nodos accipe vestium, & eorum ligamina, sive fibulas purpureas: quæ si amplis erant ornamentis floribusque stipatæ, *lati clavi* appellationem sortiebantur: *augusti* vero si sine ornatu fuere, cujusmodi adhibere vestibus suis *Equites* non illustres debuerunt. PVB. Perge sis jam de *Principe Juventutis*. TULL. Cum *Augustus* rerum summam obtinisset, hunc in omni Romana *Juventute* Principatum transfudit in suam *Cæsarum* familiam, genitosque patre *Agrippa* genero suo, filios *Cajum* & *Lucium* ex *Senatus Consulto* *Principes Juventutis* appellari voluit, tanquam filios a se adoptatos. Idem constituisse *Tiberium* de *Druso* filio suo, atque *Germanico*, fratris sui filio, perhibet numus a *Goltzio* vulgatus: quem tamen cum cæteri *Antiquarii* nuspian repererint, sublestum veretur III. *Spanhemius*: tametsi *Germanicum* fuisse *Principem Juventutis* aliunde quidem constet, *Ovidio* cum salutante: *Tu JUVENVM PRINCEPS*, cui & *Germania* nomen &c

Spanhem.
Tom. II.
P. 359.
Ovid.
Pont. II.
Eleg. 5.

Nero pariter ac *Drusus*, filii *Germanici*, *Principes Juventutis* dicti. Abinde vero exemplum hoc in quamplurimos *Augustos* pervagatum est, ut jam deinceps soli prope *Imperatorum*, natura, vel adoptione filii hoc præconium ferrent, cæteri omnes eo excluderentur. PVB. Nihilne muneris, sive officii, præter dignitatem, *Principis Juventutis* elogium secum tulit? TULL. Secumtulit utique, & multo maxime. Primis namque, mediisque, immo & postremis etiam sub imperio *Cæsarum* temporibus, variis in *Indis* uti *Circensibus*, *Decursionibus Equestribus*, & præcipue in decantato illo *Trojæ* ludo, de quo infra, qui *Princeps* erat *Juventutis*, universum *Equestrem Ordinem*, ceu *Dux* & *Magister*, in palæstram deduxit: ubi *Juventus Romana* tenerior ludicris pugnis severiori quondam belli alex jucunde utiliterque prælusit.

Novum porro erat, advertente Ill. *Spanhemio*, Imperatorem *Augustum*, VI.
 ut supra aiebam, uno eodemque tempore duos simul *Juventutis Principes*,
 videlicet *Cajum & Lucium*, natura quidem *Agrippæ*, adoptione vero suos fi-
 lios, a Senatu adlegi voluisse: uti postea in *Tito* quoque ac *Domitiano*,
 in *Caracalla & Geta*, aliisque plurimis contigit. Novum præterea, Au-
 gustorum Filios, quasi ex officio Principis *Juventutis*, præter veterem con-
 suetudinem, non Equestris solum, sed & Pedestris militiæ Antesignanos
 fuisse, numis, quos postea contemplabimur, testibus. Novissimum autem
 & summum, ex quo Principis *Juventutis* eminentia a Nobilibus ad Augu-
 stas commigravit familias, Imperatores, si filios suos, aut ex se natos,
 aut adoptatos, in Imperii Successionem designare vellent, unacum Cæsaris
 nomine, etiam Principis *Juventutis* elogium in eos ex Senatus Consulto
 conferri, idque illico numis vulgari decrevisse: ut extemplo nosceret Or-
 bis, quod de Imperatore *Caro* ejusque filius *Sidonius* cecinit,

Sidon.
Carm. XX
 v. 28.

NATOS cum GENITORE PRINCIPANTES.

Quo factum est, ut jam *Vespasiani* tempore *Princeps Juventutis* idem esset,
 quod Imperii Hæres, atque in eo impleretur illud *Ovidii* ad *Cajum*, cum
 fratre *Lucio* in hanc spartam assumtum:

Ovid. Art
am. L. I.
 v. 194.

Tale rudimentum TANTO sub NOMINE debes,
 Nunc JUVENVN PRINCEPS: deinde future SE-
 NVN.

PUB. Capio jam elogii hujus celsitudinem: unde grandis hujus fastigii
 exhibitores Numos, quorum duodecim pingere tibi libuit, magna cum
 oblectatione intuebor: id vero tanto magis, cum maxima in eis imaginum
 varietas sese offerat. Neque enim jucundius quidquam, præter rei unius
 ejusdemque aliam semper, & aliam tesseram. *TULL.* Duobus illi *Di-*
alogis materiam facile præbebunt: quare in hoc præsentis tres solummodo
 anteriores explorabimus.

PUB. Primum eorum argenteum teneo, hinc cum capite *Augusti* lau- VII.
 reato, & titulis: CAESAR AVGVSTVS DIVI (i. e. *Julii*) *F.ilius*. PATER Tab. III.
 PATRIAE. Inde duo admodum juvenes *Principes* adstant, quorum dexter Num. I.
 veste, seu linteo Pontificali involvitur: ante eos geminæ cubant parmæ,
 hastæque consurgunt: supra simpulus, seu vasculum collo angusto, quo
 Pontifices sacros liquores fundebant, lituus præterea augurum sceptrum

conspicitur. Infra lego : C.ajus. L.ucijs. CAESARES. Circum: AV-
GVSTI F.ili. COSS.ales. DESIG.nati. PRINC.ipes. JVVENT.utis. An
recte omnia? TULL. Recte. Ambo hi juvenes erant fratres germani, &
M. Agrippæ filii ex Julia filia Augusti. Teste Suetonio hos suos e filia
nepotes Augustus avus adoptavit domi, per assem & libram emtos (i. e. pacto
grandique pretio) a patre Agrippa: tenerosque adhuc ad curam Reipublicæ ad-
movit, & Consules designatos, circum provincias, exercitusque dimisit. Vide
hic potioem jam Numi hujus rationem expositam. Reliqua superaddit no-
bile Monumentum vetustatis, marmor videlicet Ancyranum, cujus In-
scriptio primum a Lipsio vulgata, quoniam in pluribus manca est, mul-
torum fatigavit ingenia, illud restituere conantium. In eo porro inter
alias Augusti res gestas hæc quoque ab eo facta Caii ac Lucii adoptio
commemoratur, subditurque: Equites autem Romani universi Principem - -
tutis - - - parm - - & hastis argenteis donatum appellaverunt. Mitto hic Cri-
ticorum doctissimorum Lipsii, ac Casauboni & in eos pugnantis Gronovii con-
certationes, quomodo hæ lacunæ marmoris rectissime demum supplendæ:

Spanh. un-
de supra p.
361. potius vero Ill. Spanhemium sequor, tuentem, ita demum, neque aliter
legendum: Equites autem Romani universi PRINCEPEM JVVENTVTIS
VTRVMQVE, PARMIS ET HASTIS argenteis donatum, appellaverunt.

Voyage du
Sieur Paul.
Lucas dans
la Grece
&c. a Am-
sterdam
1714. Cui lectione non multum obstat, quod Paulus Lucas Medicus Gallus, amore
antiquitatis & numismatum iter in longinquas terras suscipiens, addendum
putet voculam EORVM, & legendum: VTRVMQVE EORVM, non vero,
quod alii suppleverant, & Spanhemius jam rejecerat, ROMANORVM.
Lacunas enim marmoris a se inspecti sic habere laudatus Medicus testatur.
- - - TIS. UTR - - QV - - - RVM PAR - - - T HASTIS: quod
Cl. Isaacus Verburgius, qui editionem Tomi posterioris Spanhemiani a mor-
te Viri Illustrissimi arduo labore curavit, diligenter advertit. Tu inte-
rim, Optime Publi, habes jam causam, cur Juvenes hi Principes Juventutis
appellentur in numo, in eoque Parmæ ac Hastæ, solita Equitum insignia
& arma, pingantur: quibus videlicet eosdem Equites Romani universi
utrumque eorum donaverunt,

VIII.

PUB. Superest, ut Pontificalium, seu Sacerdotalium notarum ra-
tionem me pariter doceas. TULL. Et harum quoque causam Dio nobis
reddit, inquit. Ex eo autem, quod omnibus Sacerdotis inaugurati sunt
imperatores, & quod alios in pleraque illa Collegia adsciscunt, semperque unus
eorum, ubi duo vel tres simul imperant, Maximum Pontificatum gerit, con-
tinuo fit, ut omnium Religionum, & Sacrorum Domini evadant. Quem ad
locum denuo Ill. Spanhemius advertit, Augustum inter cæteros honores, a

Sena-

Senatu sibi delatos, & a se admissos, illum præ cæteris libenter suscepisse, quod idem *Dio* alibi commemorat, ut Senatus Populique consensu, Sacerdotes quoscunque quo arbitrio constituere possent, neglecto etiam numero antiquitus recepto. Hac deinde facultate tam callide usum, atque diligenter, ut non modo ipse, defuncto Lepido summum iniret Pontificatum, sed & mox unum ex iis, quos filiorum loco coluit ut *Claud. Marcellum* sororis filium, aut e filiis suis adoptatis, ut *Cajum*, in hoc numo unacum *Lucio* signatum, in sacerdotum Collegia adsciverit. Quo factum, quod mox e *Dione* audisti, ut ipse, & quosquos sui postea in hoc facto imitatores habuit Augustos, omnium Religionum, & Sacrorum domini evaderent. Sub illis proinde aliis, ut *Dio* ait, quos Imperatores in pleraque illa, i. e. Sacerdotum Collegia adsciscunt, ii indubie accipiendi, qui a Patribus Augustis *Cæsares* dicti, uti & *Principes Juventutis*, in *spem Successionis adolaverunt*.

IX.

PUB. Haud puto, spem Augusti, quam in hos Juvenes plurimam-reposuisse e dictis videtur, opinioni suæ respondisse. **TULL.** Uti summa, quæ hunc maximum Monarcham in aliis omnibus comitabatur Felicitas, *Sueton. in eum in Domo sua undique destituit, referente Suetonio: ita nec Cajus & Aug. c. 65 Lucius diuturni fuerunt. Prior namque, testante Tacito, ex scario vul- Tacit. An- nère in colloquio ad Urbem Artaxata infeliciter periit. Posterior Massi- nal. L. i. liæ, incertum, an morbo demum, an veneno, artibus Livix dato, fatum præcox subivit. Ill. porro Spanhemius geminos pingit numos: quorum ma- Spanhem. jor æris medii magnitudine, hinc Augusti & Livix Parentum, inde Agrip- Tom II. pæ, veri Patris, ac Caji & Lucii filiorum opposita sibi capita exhibet, cum sum ab Alabandensibus. Alter æris parvi, æque Græcus Cilbianorum Nicæensium, ante quidem amborum fratrum Capita juxta se posita, retro Venerem stantem habet cum pomo, aut Juliam potius, illorum matrem. Rariores tamen Vir idem Illustris ait esse numos, qui aut solius Patii. Imp. Caii, aut solius tantum Lucii Caput, & nomen exhibeant: cujusmodi p. 47. duos æris medii vulgavit Cl. Tristanus, plures Cl. Tristanus, Sed in iis, Trist. Tom I. qui Cajum sistunt, numis, caute videndum: ne quis Cajum Caligulam, po- p. 141. stea Imperatorem, pro Cajo Cæsare Agrippæ filio respiciat.*

PUB. Oppido alius a priori est numus sequens: quem utraque sui X. facie, cum apud me non exstet, nescio unde pinxisti. *Adversa elegan- Tab. III. tem habet Juvenis faciem crinibus crispis, nullo tamen lauri ornatu. Num. II. Circum lego: NERONI CLAVDIO DRVSO GERM. amico. COS. uli. DES. ignato. Aversam absque omni imagine sola hæc occupat Inscriptio: EQVES.*

EQVESTER ORDO PRINCIPI JUVENTVTIS. Scribuntur hæc nuda in area, ne ferto quidem aliquo circumdata: quod nullibi meis in numis conspicio. TULL. Vulgavit hunc numum Com. Zantanus Aur. Claud. IO. atque II. cujus fide eundem tibi pinxi: putat insuper, restitutum esse hunc numum a Claudio Imperatore honori ac memoriæ patris suis Drusi, Majorem dicunt, i. e. Seniore, ut eum, tanquam fratrem Tiberii Imperatoris, ab hujus filio Druso qui idcirco minor audit, i. e. junior, distinguant: tametsi tertius quoque Drusus, filius Germanici existerit. Inscriptionem Aversa existimat Zantanus desumptam esse ex parma aurea, quam Equester Ordo huic Druso adhuc iuveni, exemplo Cæsarum, immo forsitan ante illos, in curia reposuit. Quæ interim fide Authoris, ea in indice suo notantis, valeant: quoniam hunc numum alias ab nemine laudatum reperi. In aliis numis restitutus ejus Augusti nomen, qui restituit, diligenter describitur; uti & in ipsius hujus Neronis Claudii Drusi. Quodsi hic numus testis infidus non sit, vides hic Principem Juventutis merito suo, non gratia Augusta, id honoris consecutum. Filius fuit natu minor Tiberii Neronis & Drusillæ: quæ cum hoc ipso pignore gravida esset, eam Augustus a marito vi abduxit, sibi que despondit: quo pacto Drusus unacum fratre Tiberio, factus est Augusti privignus. Sed Vitricus eum neque Cæsarem dixit, neque adoptavit: cohæredem tamen filiorum constituit. Mervisse itaque poterat Principatum Juventutis summa sua nobilitate, Obtinuit & veniam ætatis, ut quinquennio prius, ac lege cautum erat, Quæsturæ, Præturæque honorem indispisci posset. Quo in munere primum cum fratre Tiberio, postea Imperatore, Rhætici belli Dux feliciter egit: Gallias quoque rebelles composuit: Oceanum septentrionalem primus Romanorum Ducum navigavit: trans Rhenum fossas novi & immensi operis effecit, quæ adhuc Drusinae vocantur. Germanis cum ante, tum post initum Consulatum vehementer insitit, & sæpe eos, aut socios eorum vicit, Ovationem inde, & triumphalia ornamenta præmeritus. Sed maturius sub ipsa in Germanos expeditione equo lapsus, in castris æstivis, quæ abinde scelerata dicebantur, decessit, plurimis a morte honoribus cumulatus. Hæc fere Suetonius & multo plura.

Sueton. in
Claud. c. 1.

XI.

Cæterum Drusi hujus Græcus quidam numus, a Morellio, deinde a Vaillantio, item a Spanhemio, atque Liebo repetitus, præstantissimis his Quartumviris Antiquariæ ac Monetariæ rei non parum negotii fecerit. Legerat enim Morellius: ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΥΙΟΣ: i. e. DRUSVS CAESAR AVGVSTI FILIVS. Vaillantius vero suo

Morell.
Specim.
Tab. XV.
p. 155.

in

in numo omnino reperisse sibi visus est: ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ : *Augustus* : *Vaill. Num. Imp. Græc. p. 9.* perhibente interim Historia, *Drusum* nec adoptatum unquam ab Augusto, nec Cæsarem dictum, multo minus imperasse. Quare *Vaillantius* a *Druso* majore Tiberii fratre confugit ad *Drusum* minorem Tiberii filium, eique hunc numum tribuit. Ill. *Spanhemius* coniecit, vel desiderari aliquid in hac inscriptione : vel per errorem existimatum esse in aliqua Urbe græca, quæ hunc numum signavit, cum *Drusus* saltem privignus fuerit *Augusti* ac Cæsarem cohæres scriptus, fuisse & ipsum adoptatum, Cæsaremque dictum. Eruditissim. tandem *Liebe* hariolatur, vocem ΚΑΙΣΑΡ legi forsitan posse ΚΑΙΣΑΡ. ΟΣ. totamque epigraphen : *Drusus Cæsaris Augusti Filius* : quantumvis ejusdem solummodo privignus fuerit. His porro in medio relictis, documentum cape, non cujuslibet obscuri attritique numi causa historiæ quantocyus didicendum esse. *Spanhem. Tom. II. p. 321.* *Liebe Goth. Num. p. 303.*

PVB. Qui priorem proxime excipit numus, æris mediæ apud me, XII. typo suo officium *Principis Juventutis*, quod dixeras fuisse, ut in ludis Tab. III. Equestræm Juventutem ducerent, manifestius exhibere videtur. In *Aversa* Num. III. namque duos Juvenes sistit, equis hilariter decurrentes, supra quos lego : NERO ET DRVSVS CAESARES. *Aversa* in medio exhibet literas grandes *Senatus Consulto*. Circum scribitur : CAJVS CAESAR. AVG. VSTVS GERMANICVS. P.ONT. M. AX. TRIBV. POT. ESTATE. Non aberrasse me puto, quod partem hanc numi, quæ Imperatoris titulos habet, *Averse* loco accipiens, posterius enarraverim. TULL. Rite id quidem, cum in themate finis *Principum Juventutis* : quorum proinde imago hoc loco recte superius cubat. Verumtamen certum non est, præsentem hos Principes, etsi Cæsares forent, elogium *Principum Juventutis* aliquando tulisse, quippe quod nemo mihi dicit : tametsi alias ipsæ eorum imagines Equestræ in hoc numo, quem etiam *Cl. Patinus* vulgavit, hanc dignitatem, quod in sequentibus numis patebit, non incongrue exhibere viderentur. Genus eorum, & fata quod attinet, nosse debes Genealogiam Familiæ Cæsarem, & memori mente tenere, ne vel ipsa plurium familia nomina te aliquando confundant.

Cajus ergo *Julius Cæsar* adoptavit *Octavianum*, qui postea *Cæsar Augustus* appellabatur. Hic filium non genuit, sed filiam *Juliam* : quæ tertium nupta est. Primum *Cajo Marcello* : deinde *Marco Agrippæ* : postremum *Tiberio Cæsari*, postea Imperatori. *Augustus* porro, filio carens, respexit primum ad *Agrippæ* liberos *Cajum* & *Lucium*, tanquam suos ex *Julia* Nepotes : quos proinde adoptavit, atque Cæsares dixit. Sed postquam

quam præcoci fato sublati erant; *Augustus*, qui interim duxerat *Liviam Drusillam*, ad hujus e priore matrimonio liberos conversus, qui erant *Tiberius* & *Nero Claudius Drusus*, seu, quod vulgo scribunt, *Drusus major*, seniores *Tiberium* adoptavit, dixitque *Cæsarem*, immo & generum suum fecit, locata filia *Julia*. Peperit illa *Tiberio* filium *Drusum* minorem: qui rursus genuit *Tiberium*: ambo vero nec boni erant, nec diuturni. Unde *Tiberius* Imperator, perduto tam filio suo, & quem ex eo viderat, nepote, respexit ad *Drusi majoris* fratris sui *Germani* propaginem, adoptans sibi ejus filium *Germanicum* natu majorem. Fuit hic *Clarissimus Princeps*, a cujus virtute ac gloria ipse sibi *Tiberius* metuit: quare invidus factus, ut habet *Suetonius*, animoque averfus, huic filio suo adoptato usque adeo obtreclavit, ut & præclara facta ejus pro supervacuis elevaret, & gloriosissimas victorias, ceu damnosas *Reipublicæ* increparet. Immo causa mortis, propinato veneno, per *Cnejum Pisonem* Legatum *Syriæ* ei fuisse, credebatur certe ab omnibus.

*Sueton. in
Tiber. c.
52.*

XIV.

Nihilomius tamen hujus Germanici filios natu majores Neronem & Drusum, hoc in numo tuo conspicuos, prout iterum *Suetonius* refert, *Patribus* *Conscriptis* commendavit, diemque utriusque tirocinii congiario plebi dato, celebravit. Sed, ut comperit, ineunte anno, pro eorum quoque salute, publica vota suscepta: egit cum *Senatu*, non debere talia præmia tribui, nisi expertis, & ætate provec̄tis. Atque ex eo patefacta interiori animi sui nota, omnium criminationibus obnoxios reddidit variaque fraude inductos, ut & concitarentur ad convitia, & concitati perderentur: accusavit per literas, amarissime congestis etiam probris, & judicatos hostes, fame necavit, *Neronem* in insula *Pontia*: *Drusum* in intima parte palatii. Post mortem *Tiberii* imperium occupavit *Cajus Caligula*, horum *Cæsarum* infelicium frater natu minimus: qui hunc numo *Germanis* suis honore posthumo sacrari, aut ipse voluit, aut permisit, ut *Senatus* se in fratribus honoraret. Quid, si in eodem *Statuæ Equestres* comparerent, quarum *Suetonius* meminit, scribens de *Claudio* necdum *Augusto*. Sed ne discriminibus quidem caruit, primum in ipso *Consulatu* quod *NERONIS* & *DRUSI* Fratrum *Cæsaris* (i. e. *Caligulæ*) *STATVAS* segnius locandas, ponendasque curasset. *PVB.* Quæ, obsecro, vanitas, invidere vitam, & a morte reddere gloriam? lucem tollere, & umbram substituere? quos vivos ferre non poteris, æterno postea marmore consecrare? *TVLL.* Sic fatui, immo sic improbi filii hominum. Uti cum diis, ita & cum necessariis luditur, atque propinquis. *DEO* templa & aras libenter sacramus, corda vero non item: quorum affectus servant nobis. Sic & pietatem in nostros multo foris honore

*Id. in
Claud. c. 9.*

nore passim testamur : amore vero eosdem quam minimo complectimur. Rarus est numus, quem Ill. *Spanhemius* vulgavit, hinc cum *Tiberii* capite, & titulis, inde cum utriusque *Cæsaris*, *Neronis* ac *Drusi* oppositis sibi *Spaulem-*
vultibus, & epigraphe : NERO ET DRVSVS CAESARES QVINQ. C. *Tom. II.*
VINC. Quæ quidem postrema Vir Illustris, mente alio evocatus, minus *p. 322.*
exacte attendens, legit : *Quinquennalis* *Cajus Vincinus*, & mallet scriptum
in numo *Vincius* : quia *Germanici* gener *M. Vincius* fuit. Unde & pu-
tat, hunc numum a *C. Vinicio Duumviro* *Quinquenniali* forsitan cufum esse,
ad honorandos *Germanici* liberos, hic cum avo *Tiberio* signatos. Sed
Cl. *Liebe* demonstrat, primum quidem C. VINC. in hoc numo meras esse
litteras singulares, quales alibi discretæ reperiuntur, ac proinde legendæ :
Colonia V. i. e. Julia Nova Carthago. TO QVINQ. vero attinere ad
ipso *Cæsares*, eosque laudare, ut *Quinquennales Præfectos*. Sic nemo in
omnibus videt, maxime, cujus *Musæ*, dum scribit, *secessum* & *otia* non
obtinere. Graviores curæ Ill. *Spanhemium*, Legationibus tam variis disten-
tum, sibi ipsi sæpenumero eripuerunt, quibus *Pax* & *bellum* provincia-
rum innixa sunt. Veniam ergo meretur, si remissi duntaxat animi ludus
eundem nonnunquam fefellit. *Liebe*
Goth.
Num. p.
301.



DIALOGUS VIII.

De

Vario alio PRINCIPIS IVENTVTIS in Numis
typo.

PVBLIUS.

Q uot *Principes* hætenus *Juventutis*, tot fere spes vidimus *Reipublicæ* inanes. Firmior illa fuit in iis, quos *Numus* noster ho-
die primus, apud me æris mediî, sistit. *Adversa* capite *Ve-*
spasiani laureato conspicua sic eum laudat : IMP. CAES. VE-
SPASIAN. AVG. COS. III. *tium.* In *Aversa* rursus duo *Juvenes* *Principes*
equis jucunde incitatis decurrunt, dextrisque elatis. *Epigraphe* : TIT.us
ET. DOMITIAN.us. CAESARES. PRINC.ipes. JVENT.utis. TULL.
Satis bene evenit *Reipublicæ Romanæ*, seu verius *Imperio Quirino* sub
I. *Tab. III.*
Num. IV.

Zant. XII. Cæss. Vesp. Arg. 73. Tab. III. Num. V. *Com. Zantanus* Tito, optimo postea Imperatore, fuitque de eo vanior multorum metus, pravum eum futurum, ac in cæteris, de quibus diximus, fiducia erat. Non uno autem hoc numo pater *Vespasianus* filios suos colebat, novo exemplo, cum familiæ *Flaviæ* esset, non *Cæsareæ*, nihilominus *Cæsarian* nomen in filios conferens, uti & *Principum Juventutis* elogium: quo utroque eosdem tanquam Imperii sui Augusti hæredes designaret. *Com. Zantanus* quamplurimos affert Numos: cujus fide proxime tibi pinxi eum, qui utrosque denuo *Vespasiani* filios exhibet, ut *Principes Juventutis*. Ejus *Adversa* rursus est cum *Vespasiani* capite: in *Aversa* ambo Principes insident felis curulibus, & uterque dextra extenta lauri ramum, vel oleæ ostendit, veluti Prætorum in officio constituti, Pacemque a Patre procuratam in populum vulgantes: nisi Consulum loco decretos Ludos, aut Sacra indicare magis existimes: Consulum quippe muneri supplendo, eorum idcirco dicti Collegæ, Prætores substituti erant, Equestri partim ex Ordine, partim ex plebe. Confer hic a me tibi uberius dicta *Exercit. Proxm. Dial. XII. 9. seq.* Epigraphæ numi hujus eadem, quæ in priori.

II. *PUB.* Non semper ambos hos Juventutis Principes numis conjunctos fuisse, argumento est Denarius, quem teneo argenteus, a te pariter pictus, in Antica capite nudo juvenis Principis insignis, cum titulo: CAESAR. DIVI. (i. e. Vespasiani) F. Ilius. DOMITIANVS. COS. ul. VII. tumum. Postica sellam habet, peristromate ornatam, cui galea imposita, cum lemmate: PRINCEPS JVVENTVTIS. *TULL.* *Zantanus* in Indice Voce Galea agnoscit hic Galeam Minervæ: quod si recte expressa forsitan est ob ludos aliquos huic Deæ factos, aut Sacra peracta, aut implorandæ tutelæ ergo, quam a Præside armorum Domitianus flagitabat. Forte & Nobilitatem, ipsumque adeo Equestrem Ordinem, hæc cassis oppido cristata designare possit. Quoniam vero *Domitianus* junior *Tito* fratre, atque idcirco remotior erat ab Augustæ Dignitatis successione: interea *Cæsaris* saltem, ac *Principis Juventutis*, uti & *Consulis* elogia, quibus omnibus effulsit, crebra numerum memoria celebrata fuere. *Zant. XII. Cæss. Domit. Arg. 2. 6. 3. &c.* *Zantanus* namque laudatus non paucos affert argenteos ejusdem *Domitiani* numos, undique cum *Principis Juventutis* præconio, typis vero maxime variis. Hujusmodi sunt: Ara accensa, Religionis, & Sacrorum index: etenim *Domitianus*, quod in aliis ejus numis legimus, Pontifex fuit, & Augur. Deinde manus junctæ, signum militare, proræ navis impositum sustentantes, Concordiæ militaris alias symbolum. Capra præterea intra sertum adstans, tessera nimirum, aut verius victima, a Consulibus, munus suum auspiciantibus, Junoni *Sispitæ*, vel *Sospitæ* immo-

immolari solita: quod plenius ex me audisti *Exerc. Prœem. Dial. XVIII. n. 2.* Vesta insuper sedens cum Palladio, velut Fortuna Domus Augustæ. Minerva alibi Strativa, de qua alias, telum intorquens, Virtutis militaris icon. Salutis Deæ præterea imago, quasi votorum pro salute Cæsaris factorum testis. Hinc spei simulacrum. Inde Statua Equestris. Quæ omnes tam multæ imagines minime absontæ erant ad honorandum Principem Juventutis, jam Consulari honore multoties fulgentem: uno præterea cumulo designare possent, quantum spei in omni demum bonorum genere Respublica super filios Augustorum suorum, aliquando imperaturos, inædificet. Sed suspicio est, Domitianum ipsum, ambitu immodico tumentem, has omnes monetas suas imperasse, de quo Suetonius: *Omnem vim Dominationis tam licenter exercuit, ut jam tunc, qualis futurus esset, ostend-* *Sueton. in Dom. c. 1.* *ret. - - Uno die super viginti Urbana officia, atque peregrina distribuit, mirari se Vespasiano distitante, quod successorem non & sibi mitteret. PUB. Princeps nimirum dici noluit, nisi & principaretur. Utinam hoc in nefando sanguinis Flaviani probro spes vitæ Romam lussisset, ne ipsa quondam cogeret, tyranni sanguinem profundere.*

TULL. Jam vero committere non poteram, quin ex Cl. Patino minime vulgarem Getæ numum tibi depingerem. Videas in *Aversa* juvenis hujus Principis, qui *Septimii Severi* filius, & *Caracallæ* frater fuit, Caput nudum, ac titulos: *P. Publius. SEPTIMIUS GETA CAESAR.* In *Aversa* idem Princeps equo insidens, duobus aliis equitantibus juvenibus præcurrit, gestuque extentæ manus, & versi ad sequaces vultus, eisdem veluti imperat. Supra scribitur: *PRINC. eps JVVENT. utis. infra: COS. ul.* Meminit vero Ill. *Spanhemius*, a celeberrimo Antiquario *Vaillantio* alterum alicubi numum exhiberi cum quinque equitibus, uno Ductoris vicem gerente, qui sit ejusdem Getæ. Omnes porro consentiunt, utroque hoc numo, uti & superiore, in quo *Titus*, & *Domitianus* equis decurrunt, præcipuum exhiberi munus, quo Princeps Juventutis ab antiquo functus est: ut nimirum in *Trojæ Ludo*, quem *Festus* etiam *Puerorum* dicit, Equestrum Nobilitatem ac Juventutem primus ac princeps duceret. *P. 41.* Erat hic ludus quædam ludicra Puerorum majorum minorumque sese inter velitatio, dexteritatis, indolisque suæ specimen publicum, & sericæ aliquando Bellonæ præludium. Ordines enim componebant, agmina, globos, ac cuneos instruxerunt, pugnam simulabant: jam fugæ, jam instaurati prælii speciem præbebant, ne disciplina quidem vacui, pœnisque immunes. Ingenti hoc factum est juvenum æmulatione, patrumque id aspectantium solatio: publicæ porro rei emolumento non

III.
Patin. Imp
p. 252.
Tab. III.
Num. VII.

Spanhem.
Tom. II.
p. 363.
Vaill. Præ-
stant. Num.
Part. II.
p. 41.

Sueton. in Aug. c. 43. minimo. Quare Imperatores quoque hunc ludum diligenter fieri demandarunt, uti *Suetonius* crebris in locis testatur. De *Augusto*, ut alia mitam, sic habet. Sed & TROJAE LVDVM edidit frequentissime, magnorum, minorumque puerorum delectu, prisca decorique moris existimans, CLARAE STIRPIS INDOLEM SIC ENTESCERE.

IV.
Virgil. Æneid. L. V.

PUB. Cur tandem hæc Juvenum scena perbella Trojæ Ludus est dicta? *TULL.* Causam reddidit *Virgilius* prolixè canens, cum *Æneas* classe jactatus, in Sicilia apud Regem *Acestem* subsistere cogeretur, hujusque permisso patrem suum *Anchisen* defunctum in *Eryce* monte sepeliisset, recurrente Anniversaria, quo is mortuus erat, die, eidem illo ipso in loco Ludos fecisse, propositis præmiis, atque divisis. Posteaquam vero jam navibus, deinde cursu, cæstibus, & jaculis certatum: tandem equestrem pariter nobilium puerorum ludum scenam clausisse: in qua *Ascanius* agmen triplex equestre instruxit, atque exercuit, ut in armis se palam ostenderet, iisque dextere tractandis vel in ludo assuesceret. Hunc deinde eundem Ludum in *Alba Longa* a se condita juventuti *Albanæ* fecisse: a qua tandem ad Romanam transiit, Trojæ nomine originis causa servato. Ita namque *Maro* ipse concludit.

Hunc morem Cursus, atque hæc Certamina primus
ASCANIUS, LONGAM muris cum cingeret AL-
BAM,
Retulit, & prisca docuit celebrare LATINOS:
Quo Puer ipse modo, secum post Troja Pubes
Albani docuere suos. Hinc Maxima porro
Accepit ROMA, & Patrium servavit honorem.
TROJA nunc PVERI TROJANVM dicitur AG-
MEN.

PUB. Grata mihi numi hujus saltem imago, perbelle, te exponente, me erudit de laudabili certe studio *Quiritum*, Juventutem suam vel in tenella adhuc ætatula ad virilem corporis exercitationem, ingenti cum laudis, publicæque Gloriæ stimulo conducendi. *TULL.* Non semper tamen hic ludus feliciter omnibus cessit, cum accideret nonnunquam, ut in eo decurrentes, aut exciderent equis, aut dejicerentur, membrisque luxatis per omnem vitam pœniterent. Subdit namque *Suetonius* priori loco,

loco, quo dixerat, *Augustum frequentissime edidisse Trojæ ludum. In hoc ludicro C. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum aureo torque donavit, passusque est ipsum, posterosque Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asino Pollione Oratore graviter invidiosoque in Curia questo Esferini nepotis sui casum, qui & ipse crus effregerat.*

PUB. Quos deinde pinxisti numos, pedestres omnes Principes sunt: cujusmodi ego permultos alios teneo, a te præteritos. TULL. Hos omnes etiam Ill. *Spanhemius* dignos habuit, quos iconibus vulgaret, simulque stabili ret, Cæsares unacum *Principis Juventutis* elogio non Equifris solum, sed & Pedestris Militiæ Duces ac Magistros institutos esse, & quod inde consequitur, universæ Rei Militaris Principes factos. Atque id tanto magis, cum multi horum Cæsarum jam vere Viri, multisque antea Victoriis incliti exlitterint, priusquam cum Cæsaris, Principisque Juventutis dignitate, Successionis in Imperium Augustum jus electionemque adipiscerentur. Sunt tibi certe numi *Constantii Chlorig*, & *Galerii Maximiani*, Virorum barbatorum, cum elogio nihilominus *Principis Juventutis*: ut alios mittam. Primus porro pictorum tibi a me numorum magnæ est formæ apud *Spanhemium*, diciturque esse *Commodi*, cujus indubie Caput in *Antica* cum titulo *Cæsaris* exhibet. Postica juvenem eum sistit stantem, ac paludatum, qui dextra sive lauri, sive olivæ ramum porrigit, aut Pacis, aut Victoriæ indicem, læva hastam tenet, adstante a tergo Tropheo militari, hostium e spoliis constructo: de quo in parte *tertia*. Epigraphe: PRINC. eps seu Principi JVVENT. utis. In hoc *Commodo*, optimi parentis *M. Aurelii* pessimo filio, neque ut Cæsare, usque ut Augusto, laudandi materiam reperit, qui ejus Vitam scripsit *Ælius Lampridius*. Et quamquam juvenis ad varia cum patre bella profectus esset, nullibi tamen manum exeruit, Virumque monstravit: ut adeo indignum plane Principem Juventutis exhibuerit, tametsi non, ut *Cajus* & *Lucius Augusti* filii, præter morem necdum posita puerili prætexta, quod *Tacitus* ait, Juventuti præpositus sit. Scribit namque *Lampridius* diserte: *Cooptatus inter tres solos Principes Juventutis, cum togam sumpsit.*

Spanh. ubi
supra p. 346

Tab. III.
N. VIII.

Tacit. An-
nal. L. 1. c. 3
Lamprid.
in Com.
mod. c. 2.

PUB. Obscuræ mihi videntur hæc voces sententiæ hujus, inter tres solos: TULL. Dudum jam illæ doctissimis *Lampridii* Commentatoribus crucem quoque fixerunt: donec *Lipsius* legere mallet inter *troffulos*, & alios illico suam in sententiam pertraheret. Verumtamen Ill. *Spanhemius* omnino retinendam esse condendit antiquam lectionem inter tres solos: eo quod illa a *Lipso* supposita vox *Troffulus*, qua quidem *Gracchi* antiquitus Equites appel-

Plin. L.
XXXIII.
c. 2.

Jul. Capit. in M. Aurel. c. 6. appellabant, *Lampridii* temporibus jam esset Antiquata, & *Plinio* teste, nemo Equitum sustineret *Trossulus* dici, quod ista vox a $\tau\rho\upsilon\alpha\varsigma$ i. e. mollis vel delicatus veniret. Maxime vero, quia *Julius Capitolinus* diserte tradit de *Antonino Pio*, cum *M. Aurelium* adoptaret: Et SEVIRVM turmis Equitum Romanorum, jam Consulem designatum, creavit & edenti cum COLLEGIS Sevirales Ludos assedit. Unde arguit Vir Illustrissimus, marmoribus quoque veteribus id attestantibus, Sex Turmas Equitum Romanorum existisse, tres Seniorum, & Juniorum totidem, unicuique vero Ductorem ac Principem suum fuisse, horumque Ductorum quemlibet *Sevirum*, i. e. unum e sex Ducibus, omnes vero simul *Seviros* sive sex viros appellatos esse. Idcirco dictum a *Capitolino*, quod *Marcus Aurelius* & *Sevir* creatus & Ludos cum Collegis edens, Antoninum patrem assidentem sibi habuerit, Pari proinde modo scribi a *Lampridio*, quod *Commodus* cooptatus, i. e. adjunctus associatusque sit inter tres solos Principes Juventutis tunc existentes triumque turmarum, e Junioribus Equitibus instructarum Duces, ipse utique, Princeps ac primus, vel etiam Principum Princeps, quia filius & successor *Augusti*.

VII.

PUB. Consimillimum ego teneo *Getæ* numum parvum argenteum: in cujus *Aversa* nudum ejus, ac juvene Caput, ac tituli: SEPT. imius. GETA. PONT. ifex. In *Aversa* nullum discrimen a priori *Commodi* numo. *TULL.* Nemo fere *Augustorum* filios suos ita tenere dilexit, atque omnibus, quibuscunque demum potuit, honorum extulit prærogativis, præ *Septimio Severo*. Quidquid ab Antecessoribus suis in filios aut nepotes, viderat, noveratque collatum, suis quoque Liberis contulit: ne aut Pietate in suos, aut splendore dignitatis, ac potestatis amplitudine *Augustorum* ante se alicui inferior esset. Quoniam itaque *Cajum* & *Lucium*, tametsi pueros, ab *Augusto* tamen Patre adoptivo viderat sacerdotii dignitate honoratos: gradu inferiore *Caracallam* ac *Getam* filios suos, tenera etiam in ætate consistere noluit. Quia illos *Cæsares* novit, atque Principes Juventutis argento publico promulgatos: consimili prærogativa sui fulgerent ut filii, diligenter procuravit. Dum in *Commodi* numo conspicatus est laurum, sive oleam, atque tropheum, Patris insignia: extemplo & ipse filium *Getam* propriæ Gloriæ suæ participem paribus symbolis reddidit.

VIII.

PUB. Insequens apud te numus quem demum magnificentum Juventutis Principem prædicat? *TULL.* *Philippum* juniorem, senioris dicti *Arabii* filium, puerum animo tam severum, ut, quamvis cum non plus

plus quam duodennem aliqui velint, dum necaretur, vix tamen unquam risisse sit visus, immo & patrem, publicos inter ludos cachinnis effusum, reprehendisse. Pinxit hunc maximorum e genere numum denuo Ill. *Spanhemius*, omiffa *Adversa*, vultum utique, ac nomen *Philippi* junioris ferente. In *Aversa* idem adstat, dextra sceptrum ducale impetrantis in morem librans, ante se erecta Legionari Aquila: læva aliam Aquilam, seu signum Militare partim ipse, partim adtans a tergo miles sustentat, qui & clypeum gestat: tertium adhuc signum militare videas post militem erectum. Epigraphe: PRINCIPI JUVENTUTIS. Spei erat, non rei signorum hic apparatus apud juvenem tam tenerum. *PUB.* Mihi vero fors obtulit perelegantem æris medii numum *Diadumeniani*, cum Capite ejusdem nudo in antica, & titulis: *M. arcus. OPEL. ius. ANTONIN. us. DIADUMENIAN. C. æsar.* Postica eundem, sed solum stantem exhibet, læva quidem sceptrum, dextra signum militare tenentem, cujusmodi alia duo post ipsum erecta sunt. Lemma, ut in numo priori. *Carini* deinde, & *Maximiani Galerii* apud me numi eodem stantes exhibent cum uno signo, & telo.

Tab. III.
Num. IX.

TULL. Illustrandis cum his, tum similibus numis Ill. *Spanhemius*, IX. semper & undique mihi laudandus, commodum affert locum illum *Ciceronis* ad *Atticum* scribentis: *Equitatus ille, quem ego in Clivo Capitolino, Cicer. ad Attic. L. II. Ep. 1. Id. pro Sulla. c. 12.* te SIGNIFERO ac PRINCIPE collocaram senatum deseruit. Quemadmodum idem pariter de nobili Adolescente *C. Torquato* inquiebat: Cum PRINCEPS, cum Auctor, cum SIGNIFER esset JUVENTUTIS, parens ejus &c. Unde non inferas quidem, *Principes Juventutis* ipsos signa gefisse, cum signis tamen, aut inter signa comparere in numis, ut officium eorum hoc pacto designetur, quod erat, primos esse, & turmas ducere. Romanorum quippe in agminibus semper signa in principiis fuere. Adhæc dignius nihil totus Exercitus, quam signa sua, & Principes habuit: quorum proinde & in numis societas optime convenit. Signa namque non secus, ac Deos, venerati sunt milites, ornabant, adorabant, festisque diebus colebant. Quam quidem fatuitatem ita suggillat *Tertullianus*, dum narrat, *Religio Romanorum tota Castrensis, signa veneratur, signa jurat, signa omnibus diis præponit.* Absit ergo, ut de Principibus Juventutis, signa tenentibus, vile aliquid suspiceris: quin existimes potius, nullo symbolo excellentiore hanc tantam, quæ Filiis Augustorum adhæsit, Dignitatem, facile exprimi apud Quirites potuisse.

Tertull. Apologet. c. 16.

X. *PUB.* Alius denno typus est numi postea a te picti : qui non tam militarem principatum, quam spem Augustæ Successionis, vel forte ipsius imperii aliquod jamjam participium innuere videtur. *TULL.* Expressi hunc typum rursus ad lineas III. *Spanhemii*, qui illas e numo maximo duxit *Valeriani junioris* ; in cujus *Aversa* stantem eum vides cum Orbe imperii symbolo in dextra, & hasta in læva, ad pedes ejus hostium profligatorum aliquo mœste assidente. *Epigraphe* : PRINCIPI JUVENTUTIS. Fuit hic princeps *Valeriani* illius senioris, tam infeliciter a Persis capti, habiti, & necati junior filius, *Gallieni* frater, moribus optimis, a Germani vitii plane sejunctus, utque ferunt, cum hoc prope Mediolanum occisus. Quid eximii bello præstiterit, ignoratur : cum & hoc apud scriptores maxime in ambiguo sit, an Cæsar, an Augustus, an vero neuter extiterit. Verumtamen saltem Cæsarem eum fuisse, videtur ipse hic numus stabilire, cujus vellem *Adversam* pinxisset, aut recensuisset saltem *Spanhemius*. *PUB.* Exstat hic idem apud me numus, quamquam in ære parvo, ubi in *Adversa* circa Caput nudum lego : LICINIUS VALERIANUS CAESAR. Porro *Aversa* ab ea, quam tu pinxisti fere nihil penitus differt. Est mihi præterea etiam *Philippi junioris* numus, ubi hic juvenis Princeps stat cum orbe, & hasta, absque tamen assidente captivo. Sic & *Carini* stantis cum orbe & telo, hostium devictorum quopiam ad pedes ejus flectente, manibus post terga revinctis. Alias vero teneo etiam *Numeriani* numum, sceptrum ducale dextra, læva vero hastam transversam, utraque sui parte acutam gestantis : uti & *Constantii Chlorigi* qui ipsum paludatum sistit, læva extenta globum, dextra telum transversum tenentem. Tandem & *Crispi* numum possideo, in quo ipse galeatus, ac paludatus, cum clypeo adstat, & hasta. *Lemma* porro his omnibus numis est idem, nimirum : PRINCIPI JUVENTUTIS. Facile hinc dispicio, quanti ponderis hoc elogium fuerit inter Quirites tam sæpe, tam diligenter undique vulgatum, typisque tam variis honoratum.

XI. *TULL.* Nonne autem conspectis hætenus tot Principum Juventutis imaginibus dolendæ tibi videntur Reipublicæ vices, quoniam in iis spes maxime ludere solet. Quot illorum ante tempus mors sustulit ? quot alii, immo e dictis plerique omnes, tametsi adolescerent, suo vitio tales postea erant, ut commodi prope nihil perciperet, detrimenti vero plurimum Respublica passa sit ? Sed in tam exiguo Principum numero ista quid miramur ? Plebes intuere, formicarum numero inundantes. Ibi quot degeneres ? quot spes inanes sepeliuntur ? Superest autem nobis

nobis Princeps Juventutis tot laudibus abundans, quæ, si diviſæ in omnes hæctenus dictos exſtitiffent, ſingulis ad gloriam ſuffeciffent. Eſt nimirum ultimus, quem hodie luſtrabimus, numus *Magni illius Conſtantini*, Maximi poſtea Victoris & Monarchæ, quem mediæ moduli forma III. *Spanhemius* propoſuit. Stat hic Princeps paludatus, utraq; manu ſignum militare ſuſtentans, cum ſolita Epigraphe votiva: PRINCIPI JUVENTUTIS. Pone imaginem vides literas: S. A. quæ ad mentem Doctiff. *Joberti* legendæ: *Securitas. A.uguſta*, vel *Auguſti*. Victoriis quippe ampliffimis *Conſtantini* etiamnum Cæſaris, maxime de Sarmatis penitus contritis, Auguſtorum tunc ſimul imperantium *Securitas* egregie firmata eſt. Infra legitur: PTR. i. e. Moneta *P.ercuſſa TR.everis*. Tab. III. Num. XI.

PUB. Pari omnino ſchemate apud me, ſed in ære minimo, adſtat impius ille *Julianus* Apoſtata, æque cum duobus ſignis. Neque enim Principis poteſtas certius exprimi, quam per Militum ſigna, ſuas in manus conſignata, potuiſſe videtur. Signum namque ſequebantur Exercitus omnes: apud hos porro, uti robur omne, ita & ſtudium obſequendi univerſæ Reipublicæ conſtitit. Teſtantur etiam hæc bellicæ imagines, omnem certe ſpem ac ſalutem Martiæ Romæ in armis ut plurimum poſitam fuiſſe. *TULL.* Recte hæc advertis: ſed nos ab armatis *Principibus Juventutis* fere ad caſtra deducti, quæ in tertia primum Parte ſubire conſtituimus, revertamur in viam, atque Auguſtos, domi glorioſe agentes, ulterius circumſpiciamus. *PUB.* Dudum mirabor, hoc in argumento te tam diu verſatum: factum id autem tanto commodo meo, ut nullus jam *Princeps Juventutis*, in quocunque numo occurrat, morari me poſſit. Sic porro ulterius fave. XII.



DIALOGUS IX.

De

Quibusdam CONCORDIAE Augustorum imaginibus.

TULLIUS.

I. **P**ostquam Principes fecundos esse *Filiis* contigerit, vel ex se genitis, aut sua demum providentia sapienter adoptatis, Rerum-publicarum sibi subjectarum prora profecto & puppis, ut ajunt, in eo versatur maxime, ut Patres ac Filii ad clavum sedentes tanto *Concordiæ*, quanto mutuæ necessitudinis vinculo sint colligati. Si enim Amicitia vel inter plebes est optima vitæ possessio, nec illud dif-

Cicer. L. I. de Finib. fiteri quispiam potest, quod *Cicero* edixit: *Omnium rerum, quas ad beate vivendum natura paravit, nihil esse majus Amicitia, nihil uberius, nihil jucundius*: Amicitia, inquam, quæ veluti Amor, pares invenit, aut facit, proinde *concordes*: certe *Principum Concordia* unicum est Augusti Throni, atque Imperii firmamentum, immo, quod vulgo dicimus, *Regnorum Anima*. Teste ipsa Veritate incarnata *Omne Regnum, in se ipsum divisum, desolabitur*. Quomodo Concordia etiam res parvæ crescunt: ita discordia res magnæ dilabuntur. Quod porro Amicis dictum ab *Aristotele*, a fortiori Principibus convenit, uno in folio conjunctis. *Eos*, inquit ille, *Amicos comprobabimus* (dicant Principes, eos filios nobis natos, vel adoptatos) quibus eadem, quæ etiam nobis, conducant, & quibus magnis in rebus communis nobiscum fortuna sit. Væ Imperio, cui sentire contingit, quod *Lucanus* conquestus est:

Nulla fides REGNI SOCIIS, omnisque POTESTAS
Impatiens CONSORTIS erit.

Seneca in Agamemn. Vel quod sententia haud multo mitiore *Seneca* extulit:
v. 259.

Nec REGNA SOCIUM ferre, nec Tædæ sciunt:
i. e. Thorus nuptialis, ad quem sponsa tædis deducebatur, sive facibus pineis.

Uti-

II.

Utinam porro hoc malum, Ambitus iste, & hæc sine socio regnandi pestilens libido saltem inter æmulos tantum, & non etiam Patres inter ac filios, atque fratres consisteret. Sed nosti, Optime Publi, e dictis prioribus, quam *Tiberius* Imp. *Germanico* a se adoptato, ejusque filiis *Neroni* ac *Druso* iniquus fuerit. *Domitianus* quid non impietatis in piissimum erga se fratrem *Titum* molitus est? *Caracallam* deinde omnis historia detestatur, quod optimo parenti *Septimio Severo*, nullum certe amoris officium erga se prætermittenti, semel ac iterum vitæ pariter & imperii lethales insidias struxerit: fratrem vero *Getam*, quem *Coaugulum* secum ferre non potuit, in sinu quoque *Matris*, quo confugerat, perfodi voluerit. Frustra, quod *Herodianus* retulit, pater *Severus* ad *Herodiam* AMICITIAM revocare semper Liberos, ac ad CONCORDIAM & consensionem inter se hortari conabatur. Frustra, tradente *Dione* decretum a *Senatu*, ut pro utriusque CONCORDIA sacrificaretur cum aliis Diis, tum ipsi CONCORDIAE - - - Victimæque a Sacerdotibus ad Sacrificium CONCORDIAE parata, Consul ipse profectus est ut Sacra faceret. Frustra in numis *Caracallæ*, ac *Getæ*, signata est CONCORDIA AUGG. Nequirit infelix *Roma* sub his fratribus experiri, quod *Themistius* Oratione *Φιλία, εὐχρηστοί* inscripta, quæ est de laude *Concordiæ Valentin. & Valent. Frat. Augg.* prædicavit inquit: Est res subditis per se amabilis FRATERNITA PRINCIPUM AMICITIA, sive CONCORDIA. Sed mittamus hujusmodi probra, quæ nimis quam certam faciunt illam *Taciti* sententiam: Arduum est, eodem loci POTENTIAM & CONCORDIAM esse. Mihi æquissimum visum est, post illud præcipuum beneficii genus, quod a Principe Bono flagrant Populi, vel unice certe exoptant, ut æternam faciat suam ipse Virtutem; atque vel Filios similes sibi ipse procreet, vel prudenti electione adoptet, qui sint spes Romanorum, & beata Propago Imperii, quæ lemmata legimus in numis: alterum illico collocare, quod est, Patrum & Filiorum, uti & Fratrum, *Augusta* in folio Concordia, ut videas, quod accidere posse vates negabat,

*Tacit An-
nal. L.
IV. c. 1.*

Quam bene convenient, & IN UNA SEDE morentur
MAJESTAS & AMOR.

III.

PUB. Primum & illustre Concordiæ hujus *Augustæ* exemplum gaudeo apud me in gemino numo æreo medio, ac rursus in parvo argenteo existere: admirabilem videlicet illam *M. Aurelii* ac *L. Veri* uno eodemque tempore communis Imperii administrationem, non Romanis solum, qui nihil simile antea viderunt, sed & Gentibus omnibus obstupescendam.

dam. Id, quod plenius a te didici *Part. I. Dial. VI. n. 15. & 11.*

*Jul. Capit.
tol. in Ver.
c. 1.*

TULL. Hic tamen dissimulare apud te nolim *Julii Capitolini* verba de *L. Vero* scribentis : *Constat - - - eum vixisse - non in Libero Principatu, sed sub Marco, in simili ac pari Majestatis imperio.* Unde eruas, cum *M. Aurelio* soli, post excessum patris *Antonini Pii*, a Patribus delatum fuerit Imperium, qui rursus in ejusdem Consortium *L. Verum* libere assumpsit, adhæsisse *Vero* quamdam speciem obedientiæ & subjectionis erga *Marcum* : quocirca *non in Libero Principatu, sed sub Marco* eum vixisse *Capitolinus* scribebat. Pari ratione etiam *Diocletianus* & *Maximianus Herculeus* simili quidem ac pari majestatis imperio communem Rerum publicarum curam gesserunt, ita tamen, ut *Diocletiano* assumentis *Maximianus* assumptus ad folium quodammodo obtemperare deberet, illoque sponte abdicante, & hic quoque imperio cedere tacito forsan ex condicito ligaretur. Quæ tamen singula *Concordiam* utrorumque Augustorum, priorum nempe illorum, atque posteriorum, minime elevant, immo tanto efficiunt laudabiliorem, quod, qui in Imperii consortium adsciti sunt, filiorumque rationem habeant, terminos additi sibi gratiæ non excefferint, sed in summis Patris obsequiis pietatem filiorum in Auctores Dignitatis suæ, cum perpetua eorundem securitate rependerint.

IV. *PUB.* Sapienter hæc advertisti : ego porro ad numos recensendos

Tab. III. convertor. Primus eorum in *Adversa* exhibet Caput *M. Aurelii* laurea-
Num. XII. tum cum titulis : IMP. CAES. M. AUR. ANTONIN. AUG. P.ont.

M. ax. In *Aversa* stat ipse cum *L. Vero*, togati ambo, ac laureat ; junctis dextris. Inter eos literæ : S. C. circum scribitur : CONCORD.ia. AUGG.usforum. TR.ibun. P.oteft. II.dum. Infra sequitur : COS.ul. III.tium.

Numus alter a te non pictus est, quia priori per omnia similis, excepto, quod circa Caput laureatum legam : IMP. CAES. L. VERUS. AUG. ARM.eniacus. PARTHIC.us. videl. ab Armenia Parthiaque per Legatos, aut Duces devicta. Numus tertius argenteus Capiti laureato

Tab III.
N. XIII.

hos titulos addit in *Adversa* : IMP. M. arcus. ANTONINUS. AUG.usfus. In *Aversa* fœmina insidet sellæ elatæ atque reclini, dextra extenta malum punicum, spicasque ostentans, lævo brachio geminum Cornucopiæ sustinens. Lemma : CONCORDIA AUGG.usforum. TR.ibun. POT. est. XVII.um.

V. *TULL.* Probe omnia. Plura porro hic vides *Concordiæ* symbola,

*Ovid. He-*scite adhibita. *Manus conjunctæ* pervulgatum apud omnes sunt signum,
roid. Ep. sic etiam animos, ut palmas sædere sociali implicari. Unde gravis illa
IV. v. 82. *Ovidii* querela : Jura,

Jura, Fides ubi nunc, commissaque DEXTERA
DEXTRAE ?

Præcipue autem Regum Concordiam commissis Dextris firmari solitam diserte Tacitus asserit, aiens : *Mos est REGIBUS, quoties in Societatem coeunt, IMPLICARE DEXTRAS. Malum præterea Punicum, tamen* *Tacit. Annal. L. XII. c. 7.* *alias fides punica, omnibus spreta sit, nobilis quoque Concordiæ typus est : quod nimirum quamplurima grana sinu suo complectitur, & ad dulcem enutrire solet saporem, cumque populum quasi gremio claudat, corona quadam Regia ipsa a natura decoratur. Ita & Concordia, plures semper conjungens, dulcissimum est vitæ socialis condimentum : tanta præterea per eos, qui in Dignitate præcipue vivunt unanimes, efficere solet, ut Regia sit quodammodo potestate. Vis namque unita ubique fortior, non frangenda, nisi divisa. Sunt quidem, qui papaver potius, quam punicum cum malum hic videant : nescio vero, quid papaveri semini languido, somnumque & inertiam concilianti, cum Concordia similitudinis intercedat. Hæc certe, ut ne rumpatur, in amolendis contrariis laborare jugiter, non torpescere debet, neque alia de causa inquitur, quam ut magna efficiat. Spicæ, & Cornucopiæ geminum & Conjunctionis, & affluentium inde bonorum perspicuæ notæ sunt. Multis namque granis spica conficitur, atque sapidissime pascit : Cornu illud Amalthææ multis frugibus impletur, omnisque præstat felicitatis abundantiam.*

Digna interim fuit numis æternis materies hæc Augusta Concor- VI.
dia : quæ & Reipublicæ optime provenit, & omnium moribus disci- *Vaillant. Sel. Num. Tom. I. p. 147.*
plinæ fuit. Produxit Cl. *Vaillantius* græcum quoque numum maximi æris, Ill. pariter *Spanhemio* uti & Cl. *Liebo* laudatum, qui est *L. Veri*, & in Postica ipsum atque *M. Aurelium* commissis dextris stantes exhibit, cum epigraphe : ΟΜΟΝΟΙΑ ΣΕΒΑΣΤΩΝ : i. e. CONCORDIA AUGUSTORUM. Quod lemma in numis Græcis, ubi tamen ΟΜΟΝΟΙΑ Urbium perfrequens est, rarissime occurrit. Cl. vero *Liebus* ex Gaza Gothona alterum profert Argenteum numum *Domitiani* adhuc Cæ- *Liebe Goth. N. p. 253.*
saris, cum laureato tamen Capite, & titulis in Adversa parte : ΚΑΙ *σας. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. ΣΕΒΑCΤΟΥ ΥΙΟC* : i. e. *Cæsar Domitianus Augusti Filius*. Retro autem cum fœmina sedente, quæ dextra pateram, sinistra hastam tenet, & circa quam rursus scribitur : ΟΜΟΝΟΙΑ ΣΕΒΑCΤΗ : i. e. *Concordia Augusta*. Alibi idem *Liebus* Latinum *Aure-* *Id. ibid. liani p. 68.*

liani numum, eumque aureum vulgavit oppido rarum : hinc cum ejusdem Capite laurum ferente, & ampla epigraphe, in aliis ejus numis haud facile obvia, nimirum : IMP. C.æsar. Lucius. DOM.itianus. AU-RELIANUS, P.ius. F.elix. AUG.ustus : quæ postrema Pii atque Felicis elogia occurrere in Aureliani numis non credidit Cl. *Harduinus*. Inde Dea sedens cum patera & Cornucopiæ geminato, atque lemmate : CONCORDIA AUG.usta five *Augusti*. PUB. Cum alienis e numis varias *Concordiæ* imagines adducas, sine, ut & ego e meis unam adhuc symbolam hic in medium conferam. Est mihi parvus argenteus *M. Aurelii* numus, ante cum ejus capite laureato : retro autem cum fœmina sedente, quæ dextra pateram pariter tenet, lævum autem brachium Cornucopiæ, cui innititur, suffulcit. Lemma præter residuos *Aurelii* titulos : CONCORD. AUG. Bellus mihi hic typus præ cæteris videtur. TULL. Minime autem incongruus : dum enim fœmina, vel potius dea ipsa *Concordia* per Cornucopiæ fulcitur, non modo prosperitatem suo numine provenire, sed & securitatem ejusdem stabiliri promittit.

VII.

Patm. Imp.
p. 274.
Ep. 278.
Tab. III.
N. XIV.

PUB. Quos deinceps pinxisti numos geminos, rarissimis accensendos, facile ab imaginum multitudine auguror : verumtamen in sensu eorum pervadendo vix aliquid demum video, maxime quia *Concordiæ* elogium in iis non lego. TULL. Secutus sum in utroque lineas Cl. *Patinus*, qui ambos forma æris medii vulgavit, sed non æque illustravit : unde eorum contemplatione hunc Dialogum infumemus. Prior eorum in *Aversa* gemina habet Capita, dextrum laureatum *Alexandri Severi*, lævum *Mamææ* Matris suæ, ad se invicem conversa, cum Epigraphe : IMP.erator. SEV.erus. ALEXAND.er. AUG.ustus. * JULIA. MAMAE. AUG.usta. MATER. AUG.usti. In *Aversa* denuo Imperator laureatus infidet sellæ curuli, cui adstans a tergo *Victoria*, palmam gestans, laurum imponit. Ille dextra pateram gestat, ceu sacra facturus, læva sceptrum breve, quale *Belliducum* esse solet. Ante eum stat fœmina, quæ, ut alias *Constantiam* in numis exhiberi videras, dextra elata digitorum indicem fronti veluti admovet. Post eam fœmina altera, vel certe figura juvenis togata medio corpore visitur, priorem intuens. Epigraphe : FELICITAS TEMPORUM. Infra : S. C.

VIII.

Hoc de numo nihil Cl. *Patinus*, nisi quod obiter insinuet, eum *Alexandri* & *Mamææ* denotare *Concordiam*. Quod si ita sit, licebit certe sub fœmina ante Imperatorem stante *Mamæam* matrem, & sub adstante altera *Memmiam* forte, secundam *Alexandri* conjugem accipere : quam

rum omnium concordia in Rempublicam, mire de *Alexandro* suo exultantem, *Felicitas Temporum* redducta sit. Favere huic opinioni verba *Lampridii* possint, a Cl. quoque *Patino* ex parte adducta. Ait enim *Scriptor* ille vitæ *Alexandri* hoc de Principe clarissimo. *Et cum puer ad imperium pervenisset, fecit cuncta CUM MATRE, ut & illa videretur pariter imperare.* Et item: *In Matrem MAMAEAM unice pius fuit.* Huic porro cum Uxore Filii Augusti bene convenisse, colligas licet ex alio *Lampridii* loco sic habente. *Denique cum ei (nimirum Alexandro) obiicerent nimiam civilitatem & MAMAEA Mater, & Uxor MEMMIA, Sulpitii Consularis Viri filia, Catuli neptis, & sæpe dicerent: Molliorem tibi potestatem, & contemptibiliorem fecisti: ille respondit: sed securiorem, ac diuturniorem.* Probasse vero hanc Concordiam Patres ipsos, ipse hic numus testis videtur, *Alexandri* simul ac *Mameæ* Capita redhibens, & Senatus consulto percussus. Bene præterea de ea sperasse Rempublicam, liquere possit ex his Acclamationibus, *Alexandro* a Senatu factis. *Auguste innocens, Dii te servant! Dii te nobis dederunt! - Felices nos imperio tuo, felicem Rempublicam! - In te salus, in te vita, ut vivere deleat! Hæc & plura Lampridius: qui etiam notat, hæc in Æde CONCORDIAE Templo inaugurato feliciter Imperatori evenisse.*

PUB. Ecce vero de Victoria retro adstante penitus taces? IX.

TULL. Hactenus *Patini* sententiæ insiti: cujus fide, & opinione, hunc inter cæteros *Concordiæ* numos libuit referre. Sed *Victoria* aliud me de eodem hariolari facit, maxime, quia, ut dixi, *Constantiæ* imaginem hic mihi videre videor, & insuper in *Alexandri* dextra pateram conspicio, quasi sacra facientis. Novi quidem, pateram in manibus Augustorum peregrinam non esse, indicem potestatis quasi Deorum similis, summiq; præterea Pontificatus veluti notam. Trepide præterea tibi meam circa hunc elegantissimum numum opinionem aperio, cum eum videre non licuerit, & singula curiosius explorare: præcipue an fœmina stans ante Imperatorem, more *Constantiæ* in aliis numis, dextram cum indice digito, speculantium gestu vere elevet. Hoc si certe confaret, dicerem fidenter, in hoc numo non exhiberi *Concordiam*, sed felicem *Alexandri* reditum a magnifica illa de *Perfis* *Victoria*: ubi inter alia sic ad Patres conscriptos ajebat. *Hæc sunt gesta: eloquentia opus non est. Milites divites redeunt: laborem in victoria nemo sentit. Vestrum est, supplicationem decernere, ne Diis videamur ingrati.* Deinde in Capitolium ascendens, rem divinam fecit, iterum referente *Lampridio*, & immensis acclamationibus est honoratus. Quod si senserimus, facile pat-

tet, cur adstet Victoria, eique laurum imponat. At vero *Constantia*, inquis, imago quid demum hic agat? Ut præcipuam videres Virtutem, quam in *Alexandro* universi suspexere. Iterum enim sæpe laudatus ejus vitæ Scriptor nos docet, cum *Alexandro* imperium ingredienti acclamasset Senatus universus nomina *Antonini*, sive *Magni*, idque multa & diuturna contentione, eum tamen neutrum suscepisse: deinde subdit. *Multo clarior visus est, alienis nominibus non receptis, quam si recepisset: atque ex eo CONSTANTIAE, ac plenæ Gravitatis famam obtinuit. Si quidem uni Adolescenti Senatus totus persuadere non potuit. Pergit deinde post paulo. Tamen ob ingentem vigorem animi, singularemque CONSTANTIAM contra militum insolentiam, SEVERI nomen a militibus eidem inditum est: quod illi ingentem in præsentia reverentiam, magnam apud posteros gloriam peperit, cum eo accessisset, UT DE ANIMI VIRTUTE NOMEN ACCEPERIT. Si quidem solus inventus sit, qui tumultuantes Legiones exauthoraverit &c.* Hoc porro, ut suo postea loco narrat *Lampridius*, egit *Alexander* imperterrita sane mentis Constantia, cum in Persica expeditione Legiones aliquæ, ob castigatos plures ex suis, inque vincula coniectos, vehementer insurgerent, & expedito quoque ferro mortem sibi minitarentur. Quapropter triumphanti postea de Persis Victori inter cætera domi a Senatu ita quoque acclamatum. *Per te victoriam undique præsumimus. Ille vincit, qui milites regit.* *PUB.* Admodum belle sententiam tuam fulcisti: quid porro de altera sæmina facis? *TULL.* Quid, si sæmina non esset, sed vir, immo ipsius Senatus, *Constantiam Alexandri* demirantis, imago togata? *PUB.* Mereretur profecto, ut ego quidem sentio, tuus de hoc numo sensus, ut imagines sibi responderent.

X.

TULL. Sculptorem, quo usus est *Cl. Patinus*, haud semper summa fuisse attentione, prodit Numus alter mox exponendus, rursumque tibi ad ejus lineas a me depictus. In *Aversa* solius est *Mamææ* caput, circum quod scribitur: *JULIA MAMAEÆ AUGUSTA*. In *Aversa* denovo sedet ipsa, hastam gerens, majestatis, ac potestatis, & communis quodammodo cum filio imperii indicem. A tergo stat mulier prope nuda, caduceum gestans dextra elata: ante eam non verecundiori forma alia sæmina comparet, ad eam quasi accedens, eique colloquens, cui socia est tertia figura vestita æque muliebri. *Epigraphe: FELICITAS PERPETUA.* Expositio hujus posticæ partis apud *Cl. Patinum* hæc est. „Pars *Aversa* numi typum exhibet elegantissimum: scilicet, ptura quippe in tam parvo opere eam refert *Mamææ* similitudinem, „ ut

*Patin.**Imp. p. 274.*

„ ut aqua aquæ non sit similior. Sedet ipsa, ut Augusta & Domina.
 „ Retro *Masam* habet, quæ caduceo pacem in orbe, ut in familia Im-
 „ peratoria, fundasse videtur. „ (Hic nota, in imagine *Patini*, errore
 verosimiliter sculptoris, fœminam retro stantem caduceum nullum præ-
 ferre, sed ejus loco *Mameæ* laurum imponere.) „ Coram duæ figuræ
 „ muliebres, quæ *Theocliam* filiam, & *Memmiam* Alexandri uxorem si-
 „ gnificare conjectura est, quod inter eas, & *Mameam* tanta esset *Con-*
 „ cordia, ut FELICITAS PERPETUA per eas designari videatur.

PUB. An & hic tibi aliud quidpiam videtur? *TULL.* Nihil ab
 hoc sensu abeo, id solum amplioris claritatis addo causa, *Mamaeam* a
Lampridio dici mulierem sanctam, sed avaram, & auri atque argenti cupi-
 dam: id, quod deinde cum sibi, tum *Alexandro* filio violentæ mortis
 causa exstitit. Dicitur ea alias Originem ad se accersisse, vitæque ab
 eo Christianæ præcepta hausisse: quæ deinceps & filio Imperatori,
 Christum idcirco in larario colenti, suggessit. *Maesa* Avia fuit tam
Elagabali, quam *Alexandri*, cum filias haberet *Soemiam*, quæ primi,
 & *Mamaeam*, quæ secundi mater exstitit. Hæc *Maesa* apud milites
 immensa pecunia effecit, ut trucidaretur *Macrinus*, econtra vero prior
 nepotum suorum *Elagabalus* Imperator acclamaretur. Cum autem hujus
 mores turpissimos cum dolore videret, author fuit *Elagabalo*, ut ad-
 ceptaret *Alexandrum*, eumque Cæsarem diceret: quo pacto viam ad Impe-
 rium *Alexandro* commodum instravit, gemino nepote Augusto inclita &
 gloriosa. Potens proinde indubie fœmina fuit, atque idcirco *Cl. Patino*
 videtur, Felicitatem in Domo æque Augusta, ac in Republica fundasse.
 De *Theoclia* nihil mihi penitus constat. *PUB.* Mire profecto numi
 quamplurimi ingenium exercent, donec abstrusa in eis mysteria evolvas.
 Facile interim mihi persuadeo, ambos hos numos eodem tempore, ea-
 demque fere occasione vulgatos in lucem: ut cum Filius ac Mater com-
 mune veluti imperium adeo feliciter gererent, pari quoque honore æter-
 nitati transcriberentur. *TULL.* Felicitatem Imperii hujus sat superque
 lectorem prægustare voluit *Lampridius*, ita vitam *Alexandri Severi*
 auspicatus. Interfecto *Vario Heliogabalo* - - - ad Re-
 medium Generis humani *Aurel. Alexander* - -
 accepit Imperium.

XI.

DIALOGUS X.

De

Aliis CONCORDIAE AUGUSTORUM, uti &
PROVINCICIARUM typis.

PUBLIUS.

I. **P**erlubenter jam audiam te de numo insequenti verba facturum, qui cæteros pulchritudine superat. *TULL.* Pretiosissimum est hic numus cimelium *Theauri Fridericiani Saxo-Gothani*, quod maxima forma ex auro accurate describi fecit *Cl. Liebe*: ego porro in solitum Tabularum mearum modulum, quam potui, exactissime contraxi. *Adversa* protomen sistit, sive ad usque pectus imaginem *Constantis*, capite laurea cincto, sed tam plana, ut alii eam pro diademate e gemmis contexto haberent: dextram, qua tamen nihil gestat, effert Princeps, læva non videtur. Circum scribitur: *FL. avius. CONSTANS. NOB. ilissimus. CAES. ar.* In *Aversa* quatuor simul videas Principes stantes, ac paludatos. Medius majori reliquis statura est *Constantinus M.* Pater, capite laureato, dextra labarum, quod vexilli bellici locum olim tenuit, sustinens, læva clavam, supra latiore, & quibusdam apicibus ornata, infra angustiore & acuminatam gestans. Clavam vocat *Cl. Liebe*, ac vitem esse posse suspicatur, Centurionum olim signum. *Cl. Bandurio* spiculum videbatur: alii forsitan Parazonium dicerent. Mihi regulæ quoque Architectonicæ esse imago videtur, de qua uberius apud te supra *Dial. IV. n. 2.* differui, qualem in manu virtutis sæpe intuiti sumus: est enim formæ quadratæ. Quidcunque demum sit, supremi certe imperii subit notam. Porro patrem, ut dixeram, hinc & inde stipant adstantes natu majores ejusdem filii *Constantinus*, & *Constantius*, hastam uterque ac clypeum gerentes. Natu minimus autem filius *Constans* statura pusilliore patri a dextris proxime adstat, armis vacuus, quibus tractandis per ætatem necdum utique par fuit. Lemma: SECURITAS PERPETUA. Infra *CONS.* quod est Urbis Constantinopolis index, in qua præstantissimus idemque rarissimus hic numus auro maximo signatus est: cui mole parem alterum aureum veteribus in numis vix demum reperias.

Liebe Goth.
N. p. 360.
Tab. III.
N. XVI.

Cl. quidem *Harduinus*, qui primus hunc numum vulgavit, putabat, hoc in numo adflare Cæsares quatuor Gentis Flavix Julix, a se, ut opinabatur, resectæ, nimirum *Crispum*, *Constantium*, *Constantem*, & *Delmatium*. Sed Cl. *Bandurius*, cui & *Liebus* consentit, verius omnino *Constantinum M.* patrem cum tribus filiis suis agnoscit, aiens, hunc numum excasum, dum *Constantinus M.* cujus filii natu majores ab aliquot jam annis Cæsares fuerant, An. Chr. 333. etiam *Constantem* minimum natu appellatione Cæsaris fratribus parem reddidisset. Pro lemmatis porro explicatione breviter verissimeque addit. Itaque quatuor Principibus, uno *Augusto*, tribus *Cæsaribus*, *Augusti filii*, *SECURITAS PUBLICA* nititur. Sed audi ex *Aurelio Victore*, quid ad hæc cælum? *Filius cætorum minor*, inquit ille, *CONSTANS* nomine, *CAESAR* fit, cujus gratia Reipublicæ permissionem fore, *Ostentorian* mira prodidere: quippe ea nocte, quæ commissi imperii diem sequebatur, igni continuo cæli facies constagavit. Quid ita? Nimirum non solo quaternario hoc Principum numero, sed vel maxime *CONCORDIA* eorum, nixuram esse Reipublicæ *SECURITATEM PERPETUAM* rebantur, ac sperabant utique, qui numum tanto splendore signaverunt. Sed illa cum a morte patris filiis defuerit, cito nimis & ista ruebat. *Constantinus* namque horum fratrum natu maximus fratri *Constanti* ditiones suas, hæreditate patris captas invidens, & eripere conatus, proprias una cum vita perdidit. Rursum deinde *Constans* æmulo *Magentio* succubuit: nec ante *Tranquillitas* erat, sive *Securitas*, donec universum cum *Orientis*, tum *Occidentis* imperium ad unicum rursus *Monarcham Constantium* devolveretur. Usque adeo vera est decantata illa paræmia, præcipue cum imperii alea jacitur: *Rara est CONCORDIA fratrum*.

PUB. Residui tres hujus Tabulæ Numi aliud *Concordiæ* genus laudare mihi videntur, *Provinciarum* videlicet, non jam amplius *Augustorum TULL.* Recte vides. Nimirum *CONCORDIA CIVIUM* bono Principi nihil est jucundius: at *Tyranno* nihil formidabilius, teste *Otorio*. Impio quidem *Machiavello* credere si fas esset, tenendum foret, *Dissensiones*, ac *Seditiones civiles* bonas atque utiles esse: ac per eas *Romam* in tantam Imperii magnitudinem, fastigiumque ascendisse, in quod olim evecta est. Sed dignam hanc *Tyranno*, non *Principe*, doctrinam hic loci ordine convelle- re, quod dudum sapientes *Viri* gnæviter fecere, mearum apud te jam partium non est. Aurea tibi sufficiat *Cyri* morientis ad filium *Cambysen* omnesque Principes, apud *Xenophontem* sententia. Non est aureum hoc sceptrum (inquirebat) quod *Regnum* servet: sed *AMICI MULTI*, (Cives

II.
Hard. Numism. Sec.
Constantin. Opp.
Select.

p. 475.
Bandur.
Tom. II.
p. 350.

Aurel.
Vict. p. 177

Otor. Histor. L.
VIII. Machiav. Commentar. L.
I. c. 4. Cyrus apud Xenophont. Cyropæd. L. VIII.

videlicet, Concordi in Principem amore undique ferventes) sceptrum sunt verissimum, maximeque securum. Cui recte omnino consonat alterum illud *Mecipse* Numidarum Regis, jamjam vita excessuri, monitum ad Jugurtham quod *Sallustius* describit. Non exercitus, neque thesauri praesidia Regni sunt, verum AMICI: quos neque armis cogere, neque muro parare queas: officio & fide parantur. Amicorum porro nomine Cives, unanimi in Principem affectu calentes, rite accipi, non est, quod ambigas. His namque quiete consistentibus, agit profecto inter eos pacatus Princeps dulce otium, veluti pater inter filios morigeros. Sit intus quies, sit amor, sit Concordia, foris tandem quid hostes possint? Egreditur cum Principe populus, pugnat cum eo, ac si ita necesse sit, cum eo etiam moritur. Majorem, veriore, utiliore tu Amicitiam postules?

Sallust. in Jugurtha.

IV. Non ita res habet, cum discordes sunt cives: neque tum alii multum profunt amici. Probe id agnoverunt Romani, qui certe non *Discordia*, sed *Concordia* civium, uti creverunt, ita & constiterunt. Quid fecerint, audi ex *Livio*. Posteaquam hic narrasset, paulo post exactos Romae Reges, ob gravissime enata inter Patres ac Plebem diffidia, hanc postremam in sacrum Montem secessisse, protinus subdit: Senatam, cum nullam, nisi IN CONCORDIA CIVIUM spem reliquam duceret, Plebem per aqua, per iniqua reconciliandam Civitati esse, sapienter censuisse. Ubi deinde Volscorum civitas a Romanis obsidebatur, & post graves Tribunorum turbas, *Appii Claudii* Tribuni militum oratione universa multitudo rursus delinita fuit, Equestri Ordine, atque Plebe, nova belli officia deferentibus, tanta Patribus orta est laetitia: Ut non per unum aliquem agendas esse Multitudini gratias censerent, sed pro se quisque voce ac manibus significaret, Felicem Urbem (i. e. Romam) invictamque, & aeternam *PRÆSENTI CONCORDIA* futuram. Prætereo hic non unum, sed plura *CONCORDIAE* Tempa, Romae ex voto posita, turbarum civilium, atque seditionum causa. Felix itaque civitas, felix Imperium, felices Augusti illi, quorum tutelam, uti *Spartanae* Urbis, *Civium Concordia* suscipit: ita ut de iisdem dici possit, quod *Agefilaus* sciscitanti abs se amico, cur Sparta muris careret, respondit, cives concordēs armatosque manu simul ostendens: *Hi sunt Spartanae civitatis mœnia. PUB.* Recte itaque *Plinius* declamavit, quod nuper legisse me memini: *Frustra terrore te succinxeris, si septus charitate non fueris. - - Malorum principum exitus docuit, ne a Diis quidem amari, nisi quos homines amant. Amor porro subditorum in Principem nonne unus & solus est duraturae Concordiae faber? Amor distantia jungit.*

Liv. Lib. II.

Plutarch. in Lacon. Plin. in Paneg.

TULL. Concordem hunc amorem, tabulis quidem argenteis, sed V. non æque hominum illius ævi cordibus inscriptum, sequentibus in numis contemplerur, qui omnes sub *Galba* signati sunt. Primum, & alterum ex argento pingi fecit Com. *Zantanus* per *Vicum*: quos & alii se vidisse commemorant. Utriusque *Adversam* citra dubium *Galbæ* caput, Tab. III. nomenque exornant. Prioris *Aversa* fœminam stantem exhibet, quæ dextra oleæ, vel lauri ramum, Pacis perinde, ac concordiæ tesseram gestat, N. XVII. & XVIII. læva vero cornucopiæ, cum lemmate: **CONCORDIA PROVINCIARVM.** In altera juvenes duos adflare videas, galea tectos, curtisque, ac militaribus togis: quorum dexter aut signum, Gallis veteribus usitatum, aut telum projectile humero gestat: alter jacula duo cum clypeo. Dextras vero ambo conjungunt, concordiæ testandæ causa. *Epigraphe*: **GALLIA HISPANIA.** Harum videlicet provinciarum, quæ ambæ bellicosæ, locum subeunt hi juvenes armati. *PUB.* Bellæ sunt, ac peregrinæ mihi, maxime postremæ hæ imaginès: unde quid hoc in numo factitent, ex te uberius audire cupio. Causam earum indubie ex *Galbæ* haud admodum diuturni ac felicitis historia requires.

TULL. Causam his numis concordia discors præbebat. Roma VI. etenim sub crudeli *Neronis* sævitia tantum non pessumeunte, cogitatum undique in Provinciis apud Exercitus de novo Imperatore, oculis tamen ubique in alium coniectis. Sic Germanæ Legiones *Vitellium*, Syriæ exercitus *Vespasianum* efferre contendebant. *Galba* tunc Hispaniam Tarracoensem administravit, atque per annos jam octo varie, ait *Suetonius*, & inæquabiliter rexit, acer primum & vehemens, deinde segnis. *Sed li-* *Sueton. in Galb. c. 9.* *teris Julii Vindicis admonitus, ut humano Generi Assertorem Ducemque se accommodaret, non diu cunctatus, conditionem partim metu, partim spe recepit. sep.* Primum ergo, ut Legatum Senatus ac Populi Romani, se gessit, auxiliis conscriptis. *Etiã per Provincias edicta dimisit Auctor singulis, universisque conspirandi: simul &* ut, qua quisque pesset opera communem causam juvaret. Ast cum Alarum una, castris appropinquans, pœnitentia mutati sacramenti (quod videl. a *Nerone* descivisset) destituere conaretur: prope aberat, quin *Galba* imperio simul ac vitæ renunciaret, maxime dum & *Vindex* interiisset. Sed comperto, *Neronem* occisum, cunctosque in verba sua jurasse, suscepit, Cæsaris appellationem, iterque in Urbem aggressus est. Præcesserat vero de eo fama sævitæ simul, atque avaritiæ, quod Civitates **HISPANIARVM, GALLIARUM**que, quæ cunctantius sibi accesserant, gravioribus tributis, Procuratoresque supplicio capitis affecisset &c. Ecce quam frustra sibi de **CONCORDIA PROVINCIARVM**, maxime ve-

ro GALLIAE atque HISPANIAE, blanditus sit *Galba*: quam videlicet, vel verius nudam ejusdem speciem, metu ac severitate extorsit quidem, amore non vincivit. Qualem cum se & cæteris exhiberet, factum est, ut septimo imperii mense e medio sublatus sit.

VII.

Liebe
Goth.
Num. p.
422.
Tab. III.
Num.
XIX.

PUB. De postremo, qui hodie nobis superest, numo quid me doces?
TULL. Vulgavit illum in cætera numorum rariorem turba *Cl. Liebe*, notatque eum æris esse parvi, eadem, qua priores, causa & occasione signatum. *Adversa* nudum refert *Galbæ* caput cum titulis: *SVL. pitius* *GALBA CAES. ar AUG. usus. IMP. rator.* In *Aversa* duæ manus sibi invicem commissæ, solemnem *Concordiæ* tessera, tenent præterea spicas geminas, medio malo Punico, aut forte papavere. *Epigraphe*: *L. ucus CANIN. ius. AGRIPPA. IIVIR. i e Duumvir. CORINTHI.* Sensus *Clar. supra* & sæpe laudati *Recensoris Thesauri Fridericiani* de hoc numo est: *L. Caninium Agrippam Duumvirum*, cum vidisset, aliis in numis laudari sub *Galba*, ut prius videras, *Concordiam Provinciarum*, peculiariter vero *Galliæ & Hispaniæ*, consilium iniisse, hujusmodi numum pariter cum symbolis *Concordiæ* una atque *Felicitatis* excudendi: ut videret novus *Augustus*, *Provinciam Achaïam* diversum nihil a cæteris sentire: sed sibi pariter de eo, ad imperium subvecto, ut cæteræ, gratulari, læta quoque ac fausta omnia sperare. Quæ porro ibidem *Vir Eruditiss. de Achaïa* disputat, an *Populi*, adeoque *Prætoria*, vel vero *Augusti*, proinde *Proconsularis* provincia fuerit, hic quidem in rem nostram haud faciunt.

VIII.

Serv. ad
Virg. Æ-
neid. L. III.

Symbola porro quod attinet, de iis pariter supra jam dictum. *Spicæ* tesseram subeunt *Abundantiæ*, plenæque *felicitatis*, quæ *Concordiam* sequitur. *Malum punicum*, ut *grana* suo quidem gremio conjuncta tenet, ita per *Concordiam* subditorum corda colligari designat. Sin vero *papaver* hic existere malis, quod *spicis*, cum *ubertatem* indicant, frequenter interponitur, illud ad *abundantiam* referes, & inter cæteros *cumulatos dulcesque Concordiæ* fructus connumerabis. Ad illustrandas porro *Commisssas dextras* notare adhuc libet ex *Servio*, ut alias omnes *Corporis humani partes* singulis olim *Numinibus* ita *DEXTRAS* fuisse *FL-DEI* a *Physicis* consecratos: quod ad committendum implicandumque *aptissimæ* essent. *Nulla gens tam barbara*, quæ iis teneri se non crederet, quorum causa *dextram* cum alio junxisset. Quocirca *Scriptor vetustus* pariter & *gravis Josephus Flavius*, agens de *Artabani Parthorum Regis* cum *Romanorum Præsidi* colloquio, sic habet. *Et DEXTRAM*
dedit

dedit, tanquam maximum confidentiæ argumentum apud omnes illos barbaros. Flav. Joseph. Antiquit. L. XVIII c. 2. Neque enim FIDEM faller quisquam ex iis DATA semel DEXTRA: neque FIDEM habere dubitabit tale Securitatis pignus ab iis nactus, a quibus injuriam sibi metuere potuerat. Narrat quoque Diodorus Siculus de Tessalione quodam, eundem a Mentore Sidoniorum Duce, qui cum Artaxerxe Perfarum Rege fœdus quoddam ferierat, absens quidem, dictum ad Regem missum esse, ut, quod verbis cum Mentore pepigerat, stipulatione quoque Dextræ confirmaret. Indignatus autem Artaxerxes, verbo Regio fidem non haberi, legatum morte condemnavit: qui ductus ad supplicium, libere professus est, Mentorem dominum suum, nihil eorum, quæ sponderat, præstiturum, siquidem Rex firmare fidem suam commissa Dextra detrectaret, indubio falsi animi argumento. Quo constantissimo sermone emollius Artaxerxes, Legatum absolvit, eique Dextram suam dedit, ait Diodorus, subiecto epiphonemate, Hæc est CERTISSIMA FIDES apud Persas.

Cæterum Cl. Patinus alterum Galbæ numum Græcum & æreum vulgavit, hinc cum laureato Galbæ capite, ac simplici Epigraphe: IMPERATOR GALBA: quæ plane laconica, inque numis peregrina est, Viro interim Clarissimo nihil omnino ad eam advertente: inde cum Aquila Legionari, quæ inter alia duo signa militaria erecta est media, interpositis numeralibus literis: XXII. quæ sive Legionem Decimam & Duodecimam (X. enim primum ab altero per Aquilam separatum est) sive junctim Legionem Vigesimalam secundam designant. Circumscribitur: COLonia. A.roë. A.ugusta PATR.enss. Subdit huic imagini Patinus scire se plurimum avere hujus Coloniae cum Galba necessitudinem: cujus nullum apud antiquos sibi vestigium occurrerit. Forte hoc in numo mysterium aliud non latet, quam in illo priori Corinthiorum, voluitque Urbs Patrensis, quæ & ipsa in Achaia sita erat, suam cum cæteris Provinciis in colendo Galba Concordiam testari. Non multum ab hoc sensu expressa in numo signa militaria abluere videntur: fisti namque Imperatori poterant, ut arrha pariter Fidei, æque ac manus Commisæ. Supra quippe tibi jam dixi, agens de signis militaribus in manu Principum Juventutis, Milites signa sua sancta habuisse, veluti deos, ac per ea jurasse. Quidni illa Concordiæ, Fideique tessera ess possint in numo? Equidem horum signorum perticis Dextræ impostæ non sunt, quas in aliis numis, qui signa exhibent militaria, cernendas exhibet Ill. Spanhemius: a quo insuper disco, usitatum olim fuisse, ut ab Urbibus ac Provinciis ad absentes Legiones & Exercitus Dextræ mitterentur, cum Fidei

IX.

Patin. Imp. p. 98.

Spanhem. Tom. I. p. 103.

& *Concordiæ*, tum etiam indicandi parati lubentisque *Hospitii* causa : uti de *Lingonenſibus* fidem nobis *Tacitus* facit, inquit : *Miserat Civitas Tacit. Hi-Lingonum, veteri instituto, dona Legionibus DEXTRAS, Hospitii Inſigne. ſtor. L. I.* Sed abſentibus etiam dextris ſigna ipſa præſentia juratæ *Concordiæ*, *Fidei*que ſufficere poterant. Atque ita interim de hoc numo apud te conſpicere placuit.

X.

PVB. Immenſum te amo, *Tulli Honorande*, quod defectum *Numorum* meorum e tot præſtantiffimorum *Virorum* abundantia adeo largiter ſuppleas, atque anſam inde capis, maxime reconditis vetuſtatis myſteriis perſpicue me erudiendi. Miris apud me lætitiis inceſſi, cum vel pauculos numulos meos tot variis tamen, eſſi minime ſelectis imaginibus ſeſe inter diſcretos contemplerer. Quæ putas me nunc, non capit ſolummodo, ſed & rapit me mihi voluptas, dum undique fere penicillo tuo tot præſtantiffimas *Gloriæ Auguſtæ* icones mihi colligis, plures vero alias ore mihi diſertiffimo recenſes, quæ apud plurimos maxime diſperſæ, abs te eſſet, nunquam forte mihi innotuiſſent. TULL. Deſine tandem cum umbra luctari. Putas, *Gloriam Auguſtorum Politicam* numulis tam paucis circumscribi? *Exigua* ſane ſic eſſet. Sed ampla, ſed illuſtris, ſed *Auguſta* eſt : cujus dicti meminiffe te velim, cum tibi fortuna permiferit aliquando, quod mihi negavit, nimirum *illuſtria Antiquariorum omnium Opera* evolvere, vel ipſa *Regum Principumque Gazophylacia* his oculis luſtrare. Hæc ſors cum tibi arriſerit, tunc ne committe, ut hi *Dialogi noſtri*, te abſciciente, quod jocatur *Horatius*,

-- -- -- --

cullus

Aut thuris, piperisque cucullus
Aut ſiant olidis piſcibus apta toga.

Æquum interim eſt, ut aſſumpti ampliffimi thematis, niſi ſingula, potiora certe capita nonnullis ſaltem numis illuſtrem : quod ſi tua non ſinat admodum curta ſupellex, ſtipe ſaltem aliena faciendum. Mendicare glorioſum non eſt, verumtamen neque inhoneſtum : modo laudes benefactorum, fontemque, unde bibis, coronas. PVB. Sane hoc pacto mitius eam, quæ me premit, inopiam fero, dum nullis me meis impenſis tu divitem reddis. Si ſapere detur ex numis, teneo ſummam votorum : æs alii habeant, habeant argentum, & aurum. Hæc tua interim in me *Liberalitas auro* contra, crede mihi, atque argento charior eſt.

DI.

DIALOGUS XI.

Prævia de LIBERALITATE AVGVSTORVM
Monita.

TVLLIVS.

Quam nuper, dum vale mihi diceres, in me prædicabas erga te *Liberalitatem*, eam hodie, sed *Augustam*, in præsentis, plurimumque sequentium Dialogorum argumentum assumo, Numis sex & quadraginta residuis fere omnibus in Tabulis meis magnifice prædicatam. Nimirum, quod nonnemo cecinit, I.

DONA placant homines, DONA placantque Deos.

Eant, qui domum vel unicam regunt, & sine muneribus imperent. Quam languida videbunt obsequia? quam invitos etiam servos habebunt? Natura omnes liberi: nemo servit, nisi vim passus. Ergo qui præses, nolis, velis, affectum quandoque *Muneribus* emas. Quare oppido sane necesse erat summis apud Romam Principibus, quæ Urbs, quod erat, nimirum Libera semper esse cupiebat, vario *Beneficentiæ* genere *Liberalibus* esse. Oportuit eos, jam Frumentorum copiam procurando, & modico ære, aut nullo, in plebes dispensando: jam Congiaria populo, Donativa militibus largiendo: jam Alimenta parvulis decernendo: jam remittendo Vestigalia: jam Reliqua Vetera, i. e. Debita abolendo: jam relevando onera publica: jam Fiscii calumniam submovendo: jam publica inter spectacula, editosque magnificos ludos spargendo crebra Missilia: jam sumptibus Ærarii Vias muniendo, Aquæductus faciendo, Portus erigendo, sublevare miseræ plebis inopiam, atque efficere, quod *Claudianus* de *Probino* novo Consule prædicat:

Claudian.
de Consul.
Probino &
Olybr. v.
43. seqq.

-- -- -- -- -- Largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut densos CVRRENTIA MVNERA nim-
bos
Cernere semper erat: Populis undare Penates:
Assiduus intrare INOPES, remeare BEATOS.

II. Causa, cur hoc fieri tam diligenter oporteret, non una fuit, sive Populum, sive Principes respiciamus. In populo tam immenso frequens erat annonæ defectus: fuit apud eundem armorum majus, quam agrorum studium, & abinde artium pariter, quibus alias panis parari solet, neglectus. Quid dicam de immiti & inquieto plebis, dominationem avertentis, libertatem porro æternam affectantis ingenio, in turbas & seditiones undique pronus? Principes quod attinet, varia erat Principatus, cum initi, tum gesti conditio. Multi namque Imperatorum invito, sive Senatu, sive Populo, sive Milite, sive omnibus demum adversis, Fasces adiere supremos, patrata non raro Antecessoris etiam cæde. Sæpe firmata jam Potestate, vel vitis suis, vel Dominatione ad crudelitatem severa, acerbos sibi populos, militesque reddiderunt. Sæpe noxia similitas, quæ Augustis cum Senatu intercesserat, modis omnibus postulabat, ut Principes favorem plebis muneribus emerent. Quoties sola rerum novarum apud plebes, vel apud exercitus cupido, Bonis etiam Principibus, nil tale merentibus, discrimen creavit, non avertendum, nisi largitionibus infinitis? Ne dicam, veterem & jam inolitam largiendi consuetudinem auferri, sive usu laudabili, sive abusu illa introducta esset, populum indomitum, ac militem insolentem nunquam sustinuisse. Ut adeo tam æquæ subinde fuerint *Augustæ Liberalitatis* causæ, quam iniquæ: utrinque tamen necessariæ. Paucis Principibus, remoto adulandi studio, canere potuerat *Claudianus*, quod *Honorio* elegantissime cecinit, nimirum;

Claudian.
de VI. Con-
sul. Hon.
v. 604. seq.

-- -- Flagrat studiis CONCORDIA Vulgi,
Quam non illecebris DISPERSI colligis AVRI:
Nec tibi venales captant AERARIA plausus,
Corruptura fidem: Meritis offertur INEMTIS
Pura mente Favor.

Neque in omnes eximium illud conferre elogium licuit, quod in *Trajanum* suum *Plinius* contulit. Nullam CONGIARIO CVLPAM, nullam ALIMENTIS CRVD ELITATEM redemisti. -- Dabis CONGIARIA, si voles: præstabis ALIMENTA, si voles.

Plin. Paneg.
c. 25.

III. Si voles, inquit. Ut enim vellent, licet metu non cogente, non exigente culpa, Alimenta saltem providere victui necessaria, quod certe primum ac præcipuum erat *Liberalitatis* suæ genus, *Augustis* vel solum, quod

quod gerebant, *Patris Patriæ* munus imperavit. Infinitus quippe erat civium Romanorum, perinde ac militum numerus: annonæ contra caritas sæpenumero maxima. Civibus panis debebatur: militibus supra stipendia insuper pro meritis merces. Qua putas ergo boni Principes Providentia esse ac Providentia debere, ne his & illis Annona aliquando deesset, aut æquo pretio vendenda, aut miseris & egentibus gratis impendenda? Famem nemo unquam, et si cætera omnia, ferre solet pacatus. Expertus id periculo suo Claudius Imperator, de quo ita Suetonius narrat. *Arctiore autem Annona ob assiduas sterilitates detentus quondam medio foro a turba convitiisque ac simul fragminibus panis ita instratus, ut ægre, nec nisi postico, evadere in palatium valuerit: nihil non ex eo cogitavit, ad invehendos etiam tempore hyberno commeatus.* Roma namque armis crevit, substitit, orbemque subegit. Arma autem quis, nisi cives capere debebant? Quantum ergo Romæ intererat, pugnare, ac vincere: tantum curare debuit, ut viverent, qui militarent.

Sueton. in
Claud. c. 18.

Quamdiu porro hæc Urbs sub Regibus adolevit, minorque fuit, horum laudabili, sed & multo quoque faciliori providentia, fere ignoravit, quid esset annonæ egere. Ast vix demum Consulibus, sibi ante omnia consulentibus paruit, caritas magna exorta, multis de plebe fame moriendi necessitatem indixit. Orta ergo seditione, Patres quidem plebi suam in colendis agris desidiam, hæc contra per Tribunos suos Patrum in procurando frumento negligentiam inculpavit. Modum his turbis posuit tum quidem *Cajus Minucius*, An. Urb. CCCXIII. Præfectus Annonæ constitutus: quam cum ex relictis *Spurii Melii* frumentis brevi procurasset, donari ab Senatu bove & arvo, a plebe columna, sive statua honorari meruit: quod in *Exerc. Proam. Dial. XVII. n. I. seq.* plenius ex me audisti. Post *Minucium* ad *Ædiles*, aliosque Magistratus cura annonæ attinuit. Præfectus tamen annonæ legitur nemo usque ad *Cajum Pompeium*, qui munus hoc toto quinquennio gessit, adlectis e Senatorum numero, quorum ope uteretur. A cæde *Julii Cæsaris* eam Præfecturam adierunt *Cassius & Brutus*: quam deinde sibi delatam diu respuit *Cæsar Augustus*, tandem nomen suscepit, munus vero per nonnullos Equestris Ordinis viros perfici iussit.

IV.

Liv. L. IV
c. 12.

Hæc namque Sparta laboris, ac tædii plurimum habebat, neque impleri ab aliquo sine multo fastidio potuit, populoque identidem conquerendi perpetuam copiam præbuit. Ut tamen commodius gereretur, additi sunt huic præfecturæ, & subordinati *Curatores Frumenti*: quorum

Boyse
Acerr. Nov.
Philol. P. I.
fuit, p. 564. seq.

fuit, partim coemere illud fertilibus e provinciis, uti Sicilia, Aſia, Africa &c. pecunia ex *Ærario* ſuppeditata, vel dividere illud æquo commo-
doque pretio, cuilibet minus habentium tantam assignando partem, quan-
ta eidem opus atque ſuis fuiſſet. Conſtituit his officiis *Jul. Caſar* *Ædiles*
peculiares, diſtos *Cereales*: novum inſuper *Auguſtus* Magiſtratum. *Fuere*
& *Curatores Minucia*, ſic dicti, vel a ſucceſſione in *C. Minucii* primi *Præ-*
fecti Annonæ officium, vel a foro, cui *Minucia* nomen, ubi frumenta
venum expoſita, atque diſtributa ſunt, vel a partibus *minutis*, quæ in teſ-
ſeris, ſive ſchedulis, quas illi diviſerant, deſcriptæ erant, quantum cui-
que deberetur vel pro levi ære, vel penitus gratis. Frumenta ipſa qui
diſtribuebant ad meſuram, teſſerarumque notam, *Fruentarii* appellati
ſunt. Horum nonnulli ſingulis etiam Legionibus conſtituti, exactam An-
nonam ad horrea publica, pro Exercitibus deſtinata, atque ad caſtra con-
vehebant. Omnium porro horum Magiſtratum Annonariorum, ut primis
temporibus permagnam, ita poſtremis prope nullam fuiſſe exiſtimationem,
docet *Boëtius*, dum ſcribit: *Si quis quondam Populi curaffet Annonam, mag-*
nus habebatur; nunc nihil abjectius.

Boët. de
Conſulat.
L. III.

VI.

Tibi vero, Optime Publi, ante omnia notandum, primum in hac
parte Gloriæ Auguſtæ caput enatum eſſe ab *Annona* provide procurata,
ut ne emere volentibus deeſſet. Alterum, illudque excellentius longe,
ab eadem dono liberali frequenter in plebem collata. Tertium ab aliis
quoque, extra frumentum, largitionibus, oleo, frugibus, vel pecunia
factis. Solebant quidem etiam Divites, maxime illi, qui ad potiora di-
gnitatum ſubſellia, ad quæ populi favore enitendum erat, largas in ple-
bibus donationes edere: uti de *L. Luceio* alicubi *Suetonius* ſcribit. *Com-*
petitor Conſulatus, quoniam inferior gratia eſſet, ſed pecunia polleret, numos
de ſuo, communi nomine, per Centurias pronunciabat. Et hæc privatorum
Dona nonnunquam veteres apud *Scriptores* iisdem nominibus, quibus &
Cæſarum Liberalitas, efferebantur. Nobis vero nonniſi de hac poſtrema
hic ſermo erit: quam & ſolam fere *Numi*, quos explorabimus, commen-
dant. Impendi vero illa, extra ordinem diurnarum, menſtruarum, an-
nuarum, largitionum frumentariarum, per *ædiles* alioſque fieri ſolitarum,
conſuevit ab Auguſtis, aut ſub auſpicia Imperii, aut cum *Cæſares* re-
nunciarentur, adoptarentur filii, toga virilis *Liberis* Auguſtis dabatur,
Natales, *Quinquennalas*, *Decennales* celebrarentur: ſive cum *Nuptiæ*
Auguſtæ agerentur, *Victoriarum*, *Triumphique* evenirent ſolemnia, *Ludi*
ederentur, & *ſpectacula*, *Principes* in *Urbem* advenirent &c. Tum *Popu-*
lus Congiariis, *Milites* *Donativis* recreabantur.

Sueton. in
Cæſ. c. 19.

Ut

Ut porro nonnihil saltem intelligas, quam vere Augustæ fuerint hæ Cæsarium Liberalitates, quamque pretii ac sumtus incredibilis, immo prope immensi: ipsius Cæsaris Augusti in Monumento Ancyrano de se ipso ita testantis verba non obiter expende. *Ex patrimonio meo (inquit) bis quadringenos viritim (i. e. singulis) dedi. - - Et Tribunitia Potestate duodecim quadringenos numos tertium viritim dedi. - - Duodevigesimalium TRECENTIS ET VIGINTI MILLIBVS PLEBEI VRBANÆ SEXAGENOS DENARIOS viritim dedi. Ubi Plebei i. e. Plebis Urbanæ nomine, advertente Ill. Spanhemio juxta Dionys. Halicarnasseum accipiendi sunt Egeni Cives: aut juxta Codic. Theodosianum Populares, quibus non est aliunde solatium. Quantam putas summam conficiunt sexaginta denarii in trecenta & viginti hominum millia viritim dispensati? quorum unus tribus ævi nostri grossis a viris, eam in rem inquirentibus, æquiparari solet. Quod prodeunt inde milliones? Nonne hoc est, quod Plinius asseruit? Nulla major FELICITAS AVGVSTI quam CIVES fecisse FELICES. Priusquam autem hujusmodi Liberalitas actu impenderetur, prævio promittebatur Edicto: Nomina præterea eorum, qui accepturi erant, atque ad id Beneficii admitti ex egentibus solebant, notata in æreis tabellis, sive, ut veteres Scriptores habent, incisa fuere. Dum tempus largiendi aderat, si pecunia daretur, ipse Augustus splendidissimo vestium ornatu in suggestu confidens, ascenditibus per scalas singulis, quod destinaverat, ipsemet est elargitus. Si vinum, oleum vel aliud dabatur, adstans in hoc munus ministrorum aliquis tesseras Cæsari porrexit, aut manu extulit elata, tot punctulis notas, quod congia, aut vini, oleive vascula excipere a Curatoribus Augusti per munificentiam licebat.*

VII.

August.
apud Casaubon. Nor
in Sueton.
p. 336.

Spanhem.
Tom. II.

p. 541.
Dion. Hal.

Antiq.
L. IV.

p. 228.

Constit.

Valentin.

Sen. Leg V.

de Anno.

Civ.

Plin. Paneg
c. 25.

VIII.

Sed importunam sæpe fuisse plebem, sive in Frumento, sive in Congiario petendo, urgendoque, neque rem gravissimis molestiis vacasse, doceat te, præter jam supra allatum Claudii exemplum, vel uno adhuc in loco Suetonius, cujus hic integrum caput adduco. Sed ut salubrem magis
 „(scribit ille de Augusto) quam ambitiosum Principem scires, querentem
 „de inopia & caritate vini populum, severissima coercuit voce: satis pro-
 „visum a Genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines
 „sitirent. Eidem populo promissum quidem Congiarium reposcenti, bonæ
 „fidei se esse respondit. Non promissum autem flagitanti, turpitudinem
 „& impudentiam edicto exprobravit, affirmavitque, non daturum se,
 „quamvis dare destinarat: Nec minore gravitate, atque constantia, cum
 „proposito Congiario multos manumissos (i. e. cum servi essent, libertate
 „donatos) infertosque Civium numero comperisset, negavit accepturos,
 quibus

Sueton. in
Aug. c. 42.

„quibus promissum non esset: cæterisque minus, quam promiserat, de-
 „dit, ut destinata summa sufficeret. Magna vero quondam sterilitate,
 „ac difficili remedio, cum venalicias, & lanistarum familias, peregri-
 „nosque omnes, exceptis Medicis & Præceptoribus, partemque servitio-
 „rum urbe expulisset, ut tandem Annona convaluit, impetum se cepisse
 „scribit, *Frumentationes Publicas* in perpetuum abolendi, quod earum fidu-
 „ducia cultura agrorum cessarat: neque tamen perseverasse, quia certum
 „haberet, posse per ambitionem quandoque restitui. Atque ita posthac
 „rem temperavit, ut non minorem aratorum ac negotiantium, quam po-
 „puli rationem duceret. „

IX. Mihi vero post hæc omnia superest demum, ut adhuc te admoneam,
 multos, quos major antiquæ puræ Latinitatis religio incescit, ut sine
 stomacho ferre non queunt, si *Congiarum*, atque *Donativum* voces promiscue
 accipiantur de Muneribus, quæ Augusti sive in plebem contulerant, sive
 in milites: ita nolle etiam *Congiarum* nomine frumentorum dispensationem
 efferri. Ajunt enim: *Congiarium* plebi, *Donativum* militi impensum: si
 frumenta dispensata sint, aiebant veteres, vel *Alimenta* præbita, vel
Frumentatio facta est. Horumque omnium Vocabulorum promiscuo usu
 accurata sedulitate abstinerunt. Neque destitit ita sentientium industria,
 quamplurima veterum Scriptorum conquirere testimonia, quibus fidem
 veluti invictam edicto suo concilient. Minime vero hi tales patiuntur,
 frumentorum distributionem *Congiarium* appellari: quia inquirunt, *Congiarium*
 venit a *Congio* quod erat vas æreum, & *Mensura liquidorum* juxta *Epipha-*
nium. Erat itaque *Congiarium* proprie largitio vini, vel olei: ac longe
 proinde illi aberrant, qui *Congium* pro modio pariter accipiunt, quo fru-
 menta dimetiri, sicut olim, ita & hodie moris est.

*Epiphon. de
 Pond. y. &
 Mensur.*

X. Verumtamen ut nimiam hic religionem intervenire non debere nos
 doceat Ill. *Spanhemius*, advertit, vetustissimis jam temporibus *Congiarum*
 vocabulum fere pro quolibet munere a nonnullis adhibitum: uti hac ipse
 voce *Seneca* etiam Urbes, vel ipsos homines, doni loco collatos expressit.
 Ait enim alicubi: *Ut tua Congiaria Vrbes sint.* Et alibi: *Sejanus patrem*
tuum clienti suo Satrio secundo Congiarium dedit. Quid? quod & ipse Orato-
 rum, ac Linguæ Latine Princeps *Tullius*, de Legionibus Macedonicis
 scribens, non dixerit *Donativum*, sed diserte habeat: *CONGIARIVM* ab
Antonio accipere noluerunt. *Spartianus* certe ferulam non timuit, dum *Do-*
nativum pro *Congiarum* posuit, de *Hadriano* scribens: *DONATIVVM* Po-
 pulo ac militibus expendit. Neque *Capitolinus* vicem mutans, atque de *Pio*
 in-

*Spanh. un-
 de supra
 p. 533.
 Senec. de
 Benefic.
 L. II. c. 16.
 Id. de Con-
 solat. ad
 Marc. c. 22.
 Cicer. ad
 Attic. L.
 XV. Ep. s.*

inquiens : *CONGIARIUM* militibus , ac populo , de proprio dedit. Nos, ut Catones illos rigidos, de quibus antea, propitios habeamus, *Frustrationis* saltem in numis imagines, quantum licuit, a cæteris *Congiariorum*, atque *Liberalitatis Augustæ* typis, fecernamus, dumque de illis proximo in Dialogo differemus, *Congiaria* in alterum differamus.

PUB. Prolixe hodie, sed erudite, atque perspicue differenti tibi, *Tulli Honorande*, de *Augustæ Liberalitatis* causis plurimis, munificentia incredibili, modo, ordine, atque nominibus, ingenti cum admiratione auscultavi : neque opus erat, te vel semel interpellare, cum omnia, quæ scire flagitaveram, tute ipse apud me prior occupasti. Sapienter unum in locum omnia contulisti, quæ hoc de Argumento me prævie nosse expedire tibi videbatur : quo effecisti pacto, ut jam optime comparatus, accinctusque, ad numos ipsos, qui *Liberalitatis Augustæ* testes æterni, aut nunc sese mihi tuo beneficio, aut postea fortuna propitia offerent, dextre lustrandos expendendosque accedam. *TULL.* Volebam nimirum, ut humile nihil abjectumque sentires de hujusmodi *Liberalitate*, quam Roma, permittentibus, immo volentibus Augustis, auro & argento, atque ære suo, non rarius, neque segnius, atque celeberrimas Victórias, magnifica Trophea, integras devictas gentes, actosque splendidissimos Triumphos, sacram æternitati, omnique ævo memorandam volebat. Hac quippe media *Loeupletata* sunt *Tribus*, ut *Plinius* inquit, sustentatæ plebes, enutriti Populi, Orbis quodammodo in urbe est alitus. Id, quod Frumenti potissimum saluberrima providentia, atque gratuita dispensatione, tam celebriter effectum est, ut, siquidem hujusmodi exemplo Ætas nostra vix uno quidem gaudeat, vel ex hoc solo capite quæcunque demum Temporum nostrorum Gloria Antiquæ Romæ immensis spatiis concedat. Alias vero quantum ego tibi his præviis de *Liberalitate Augustorum* Monitis, tantum & mihi viæ compendium feci : ut Patris hujus nostræ secundæ, jam satis prolixæ, quod restat, medium iter tanto expeditius conficiamus.



DIALOGUS XII.

De

Beneficio FRUMENTATIONIS, in Numis, de-
que ANNONAE, CERERIS, & ABUNDAN-
TIAE imaginibus.

PUBLIUS.

I.

Conspicio ego in tam exigua licet penu mea Numaria plures ta-
men certe numos, veluti *Liberalitatis Augustæ* perennes quo-
dammodo tabulas: sed multo tu illustriora penicillo tuo ejus-
dem monumenta aliunde mihi conquisivisti. Quorum illa sint
Principum, in hoc & sequentibus Dialogis abs te audire avide exspe-
cto. *TULL.* Primus in scenam intrat *Coccejus Nerva* Imperator opti-
mus, cujus est, quem primo loco ex Ill. *Spanhemio* tibi pinxi numus
magnus. *Antica* ejusdem Capite ac nomine superbit. *Postica* nihil qui-
dem præter frumenti modium, cum sex abinde prodeuntibus aristis mon-
strat, facillimo ac pervulgato, in tuis quoque numis, Frumenti pro-
curati dispensatque typo, pone descriptis literis: S. C. Verumtamen
Epigraphe, cum rite expensa fuerit, ingentis, ut Beneficii in populum,
sic Gloriæ Augustæ argumentum est. Ita namque habet: PLEBEI UR-
BANAE FRUMENTO CONSTITUTO. Nosti e dictis, quæ Annonæ
diligenter curandæ necessitas Romæ in tam bellicosa artiumque fere in-
curia plebe semper & undique fuerit. Quare, ne vetustiora afferam,
Legè Annonaria, a *Publ. Clodio* Tribuno Plebis sub *Pisone* & *Gabinio*
Consulibus lata, decretum fuit, *Asconio* notante: *UT FRUMENTUM* Po-
pulo, quod antea *semisse* & *trientibus* (viden, quam vile pretium) in sin-
gulos modios dabatur, *GRATIS* daretur. Perstitit lex ista usque ad Au-
gustus: qui equidem nec ipsi hac cura, hacque largitate defuerunt,
sed pro supremæ suæ potestatis arbitrio tum demum tribuebant, cum
sibi libuisset. De *Augusto* ita *Suetonius* habet. *Ac ne plebs frumentationum*
causa frequentius a negotiis avocaretur, *ter in annum quaternum mensum tes-*
seras dare destinavit: sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut
sui cujusque mensis acciperet. Alii Imperatores aliter largiebantur, neque omni-

Tab. IV.
Num. I.*Ascon. ad*
Pisonian.
c. 4.*Sueton. in*
Aug. c. 40.

omnibus semper, neque iisdem. Et Julius quidem Cæsar recipientium numerum definiens, ad centum quinquaginta millia constrinxit: Augustus vero eundem ad ducenta rursus millia ampliavit. Fuit proinde Imperatoris Nervæ gloria, hoc numo in ævum transcripta, quod certæ, stabilisque id genus Liberalitatis gratiam Plebi Romanæ concefferit, & omni quidem, nullo quoque accipientium numero definito. Hæc fere Ill. Spanhemii de hoc numo sententia. Præstitit itaque Nerva, quod afferebat Ammianus Marcellinus ita scribens: *Oportet, ut Princeps sit velati FRUGI Parens, prudens, ac dives: ad cuius PROVIDENTIAM Provincialium sollicitudo nunquam frustra confugiat.* Ita namque Deorum muneribus utetur sapienter, & importunam pauperiem, publicæ semper exitiosam Concordiæ, deportabit in remotissimas insulas, non in urbibus alet, facietque, *ut sub eo cunctæ floreat Provincie:* quo præconio Jul. Capitolinus olim Antoninum Pium celebravit.

PUB. Quos postea pinxisti numos octo, omnes ego teneo, tu vero e pluribus hujusmodi ita caute selegisti, ut lemma novum, imaginisque alia, saltem ex parte, ratio in singulis occurrat, ac pergrata certe varietate oculum jucundissime afficiat. Et primus quidem æris medii, Antoninum ipsum illico sistit, quem statim ex Capitolino laudasti. Ejus namque Caput radiatum exhibet *Adversa*, ætatis quidem vitium non modicum passa, ut adeo de titulis nihil amplius restet, præterquam . . .

AUG. PI . . . *Aversa* fœminam stantem exhibet, cum patera in dextra, quæ brachio sinistro Cornucopiæ sustentat, adstante sibi ad lævum pedem modio, prodeuntibus spicis. Penes: S. C. & circum: ANNONA AUGUSTI. Numus alter æris æque medii, in *Adversa* Caput Alexandri Severi lauro nitens ostendit, cum titulis: IMP. ALEXANDER PIUS AUG. *Aversam* stans iterum fœmina occupat, cui saccus ad pedes adstat apertus, apparente intus filigine, aut tritico, supra quem illa dextra extenta spicas deorsum vergentes tenet, lævoque brachio Cornucopiæ defert. Pone: S. C. Lemma: PROVIDENTIA AUGUSTI. Satis jam mihi aperta sunt ista. **TULL.** Utroque nimirum numo Optimorum Principum curam sollicitam Frumenta populo procurandi simul, & elargiendi, laudatam hic crede, tametsi in priori *Annonæ* nomen scriptum sit. *Annona* quippe venit ab *Anno*, atque proventum unius anni, tantumque frugum, quantis victitare per annum homines queant, designat. Unde probis Scriptoribus *Annonæ* utilitas annum fertilem, ut contra *Annonæ* difficultas, sive *sevitia* annum sterilem innuit. Nemo proinde Isidoro facile adstipulatur, dum *Annonæ* ethymologiam ab *ad* & *nonam* deducit: quasi horam prandendi, quæ nona esse vulgo olim

Ammian.
Marc. L.
XIV. c. 6.

II.

Tab. IV.
Num. II.

Tab. IV.
Num. III.

Isidor. Ori-
gin. L.
XII. c. 2.

Capitol. in
Pio.

confueverat, denotaret. Providentiam porro Annonæ in populo procurandæ Antonino non defuisse, vel ideo facile colligas, quod *Pii* nomen eidem ob nullum Pietatis officium in patriam omissum adhæserit. Testatur certe de eo rursus *Capitolinus* in hunc modum. *Vini & olei, & tritici penuriam, per Ærarii sui damna emendo, & gratis populo dando sedavit.* De *Alexandro* deinde *Severo* plurimam quoque in plebes largitatem, benignitatem, ac munificentiam passim *Lampridius* commemorat.

III. *PUB.* Magis peregrino schemate est numulus æris parvi, qui se-
Tab. IV. quitur. Et hinc quidem habet Caput *Constantini* junioris, qui erat Con-
Num. IV. stantini M. filius natu maximus, diademate incinctum, cum titulis :
CONSTANTINUS JUN.ior. NOB. *alissimus.* CAES. *ar.* Inde vero cum
muro, ut mihi videtur, qui portam habet : supra quem in medio stel-
la, utrique lateri globus, tribus prodeuntibus spicis, superpositus. *Epi-
graphie: PROVIDENTIAE CAESARUM.* Infra : *Signata. M. oneta. An-
tiochiæ B. Officina secunda.* In medio harum literarum lunula cubat.
TULL. Pinxi tibi hunc numum non tam, qualis re vera est, sed qua-
lis nonnullis videtur, qui in eodem adstare Domum Annonariam opi-
nantur, in quam frumenta, sive pro plebe, sive pro milite, convehi
affolebant : atque idcirco supra in utroque latere parvulos modios stare
cum prodeuntibus spicis existimant : laudatam præterea in lemmate *Pro-
videntiam Caesarum* de cura procuratæ Annonæ accipiunt : Lunulam at-
que stellam, nisi solis vicem hæc obeat, veluti notas tesseræque Urbis
Constantinopolitanæ habent, in qua tunc sedes Augusta constiterat. Fa-
cile porro largior huic sententiæ, adstipulante quoque in hac parte
III. *Spanhemio*, sub *M. Constantino*, qui omnes *Maximi* simul ac optimi
Principis partes explevit, ejusque filii, ac cæteris Imperii successori-
bus, propriam Patris Patriæ curam de Annona civibus procuranda non
minorem, ac apud priorum seculorum Augustos, & fuisse, & esse de-
buisse. De magno *Theodosio*, immo ad ipsum sic certe *Symmachus* per-
scripsit. *Felicitas quidem Vestra æternæ Urbis SOLEMNIS ALIMONTIAE
COPIAM pollicetur - - Cui Æternitas Vestra mandavit FRUMENTA-
RIOS COMMEATUS.* Notavit præterea ibidem jam ante Vir idem
Illustrissimus, ea ætate illata ad dispensandum in Urbem Frumenta *Ur-
banum Canonem* appellata esse, & Dispensatores ejusdem, qui olim *Præ-
fecti Annonæ* dicti, tum *Comites Sacrarum Largitionum* fuisse vocatos.
Quæ vero subdit, huic de numo præsentis sententiæ plurimum obviant,
nimirum, posterioribus seculis nullam amplius *Abundantiæ, Annonæ, Pro-
videntiæ* memoriam in numis occurrere. Videtur itaque *Spanhemius* omni-

Spanhem.
Tom. II.
p. 541.

Symmach.
L. X. Ep.
31.

no sentire, quod passim Viri docti statuunt, in hoc & similibus numis nequaquam sili domum Annonariam, sed Castellum potius, immo Castra Prætoria, neque super latera muri hic comparentis cum porta modios parvulos stare, sed turres potius repræsentari. Et certe, cum numulus tuus integerrimus sit, & quasi recens, neque in hoc, neque in aliis duobus, quos tenes, *Constantis*, ac *Constantii* numis, spicæ saltem, ex apicibus prodeuntes, in oculos tibi incurrent. Alia hic ergo *Providentia Cæsarum*, bellica nimirum, & quæ in hostes sollicita sit, commendatur: unde de hoc numo in Parte III. nobis iterum sermo recurret.

PUB. Proximus æris medii numus est *Gordiani* Nepotis, cujus IV. Caput corona radiante fulget in *Adversa*, suis cum titulis. *Aversa* fœ-Tab IV.
minam exhibet stantem, quæ dextro brachio Cornucopiæ gestat, læva Num. V.
elata parvulam ostendit tabellam, punctis nonnullis notatam. Circum
lego: LIBERALITAS AUGUSTI. Infra: S. C. TULL. Cum nulla
hic frumenti nota peculiaris appareat, certum non est, an ad Frumentationem, vel aliam *Gordiani* optimi Principis Largitionem hic numus
attineat. Tabellam vero quod spectat, pulcherrime ei exponendæ in-
servit observatus ab III. *Spanhemio* locus ex Constitutione *Valentiniani*
Senioris, ita habens de Annonis Civici: Quibus TITULUS figendus est Cod. Theo-
æneus (ecce Tabellæ rationem) in quibus & PANIS MODUS (en Puncto-
rum causam) & percipientis NOMEN debet INCIDI. Quod namque, *dos. Tom.*
sive Frumenti, sive alterius Muneris portiones edicto ante promitteban-
tur, tot Punctis hæc Tabella constabat. *PUB.* Elegans sane tam par-
vulæ rei mysterium. Sed non minus pulchra sequentis Denarii imago, *V. p. 343.*
ubi Frumenti notæ manifestæ. *Anticam* ejus Caput *Antonini Pii* vul-Tab. IV.
tusque summe compositus denuo illustrat, ejusque nomen. In *Postica* Num. IV.
sedet fœmina dextro brachio geminum Cornucopiæ gestans, læva spicas
cum intermedio papavere: a tergo sellæ adstat modius cum spicis pro-
deuntibus. Lemma: CERES AUGUSTA. Anne ipsam Cererem deam,
vel Augusti Providentiam, hac epigraphe laudatam existimem? TULL.
Non multum hanc litem nostram faciamus: ambo namque in idem fa-
cile recidunt. Nosti, Cererem Matrem Frugum esse habitam, de qua
proinde nos uberius Parte quarta. Hujus interim imagine congrue om-
nino illa Augusti Providentia de Annona Civica, Largitasque in divi-
dendo Frumento designatur, simulque innuitur: Uti *Ceres* Mater est,
quæ quodammodo parturit segetes, ita Patriam, Annona donatam, in
Principe Patrem suum venerari pariter, atque amare.

V. *PUB.* Pergo jam ad proximum, quem pinxeras, *Hadriani* numum æris medii: cujus anterior pars ejusdem Capite, ac nomine insignis Tab. IV. est. Posterior elegantissimo schemate fœminam sistit, duobus Copiæ Num. VII. cornibus, in selam aptatis, insidentem: quæ dextra extenta spicas cum papavere, læva hastam tenet, forte denuo Cereris imaginem subiens. *Epigraphe*: UBERITAS AUGUSTI. Infra: S. C. *TULL.* Non multum absimilem *Trajani* numum, sed ex ære magno, pinxit Ill. *Spanhemius*: ubi Dea duobus Copiæ cornibus insidens, affluentem, ac sæpe multumque repetitam *Trajani*, uti hic tuo in numo *Hadriani*, Largitatem commendat. Lemma quod attinet, UBERITAS æque, ac UBERTAS, apud veteres scribebatur, exemplum præbente numo altero *Trajanij*, quem una cum priori Ill. *Spanhemius*, magni pariter modali exhibet. Legitur in eo, quamvis circum aliam imaginem, sicut in tuo UBERTAS. Tibi porro est *Cari* numus parvi æris, cum lemmate: UBERTAS. Monetarii vero incuriæ dandum, quod apud Cl. *Liebe* in numo Argenteo *Trajani Decij* circa fœminam, cum Cornucopiæ & crumena stantem, Largitionis utique sive Liberalitatis indicem, diserte tamen legatur VERITAS, nimirum pro UBERTAS. Cæterum hæc vox, super communem Annonæ notionem, insuper ejusdem copiam & affluentiam majori pondere designat.

Spanh. l. c.
p. 537.

Liebe
Goth. N.
p. 265.

VI. *PUB.* Nobilior cæteris mihi subsequens numus, æris magni apud me, esse videtur, *Trajano Optimo Principi*, cujus Capite fulget laureato, Tab. IV. inscriptus. Stat quippe in *Aversa* ipsa ceres, quod colligo, quia fœminam video spicis coronatam. Lævo brachio Cornucopiæ gestat, dextra vero extenta parvulam imaginem sustentat, quæ dextra bilancem, læva hastam tenet. A tergo Cereris puppim videas navis perornatæ: ante eam ad pedes stat corbis, sive calathus, e quo ternæ prodeunt spicæ. *Epigraphe*: ANNONA AUG.usti. CERES. Infra: S. C. *TULL.* Elegans hic tuus, neque adeo obvius numus, ex gemini alterius numi typo compositus, conceptusque esse videtur. Uno quidem *Neronis*, quem pinxit Com. *Zantanus*: ubi Cererem cum patera & hasta assidentem cernas puppi navis, adstante a dextris fœmina cum Cornucopiæ, addito lemmate: ANNONA AUGUSTI CERES. Altero *Hadriani*, quem tu ipse possides ære medio: in quo stat fœmina cum imaguncula *Justitiæ*, sive *Æquitatis* in dextra, & Cornucopiæ in sinistra, puppi navis retro, canistro cum spicis eidem ante vultum adstante, addito lemmate, UBERTAS. Quas ergo *Neronis* numus duplici imagine sistebat, tuus hic numus in unam conjungit, *Annonam* videlicet, ac *Cererem*.

Zantanus.
Neron.
Æ. 11.

Pup-

Puppis conspicua, quod magis ac prora videtur, frumenta in largitionem publicam mari esse navigioque adveſta, Principis quidem providentia ac ſumtu, haud difficulter demonſtrat. Parvula porro Æquitatis imago ſervatam in diſtributione Annonæ Civicæ debitam, juſtamque proportionem, recipientium inter penuriam, munerisque quantitatem, vel vero in diſcernenda plus minusve egentium conditione, merito docere poſſit.

PUB. Adhuc *Trajani* largitas altero in Ære magno apud me com- VII.
 paret, hinc quidem Caput ejusdem laureatum, amploſque titulos refe- Tab. IV.
 rente. Inde ſœmina ſtat, dextrum pedem orbi imponens, ambabus Num. IX.
 porro manibus e Cornucopiæ largam pecuniam effundens, videlicet, ut
 arbitror, in Annonæ procurationem a *Trajano* liberaliter expenſam.
 Pone S. C. & circum: ABUNDANTIA AUG. *uſti.* *TULL.* Hunc eun- *Spanh. un-*
 dem numum pingens III. *Spanhemius*, ut eum illuſtret, alterius meminit, *de ſupra*
 ſub eodem tamen *Trajano* cuſi, cum modio in *Averſa*, ac prodeuntibus *p. 535.*
 exinde papavere & ſpiciſ, hoc vero lemmate: ABUNDANTIA PER- *Plin. Pa-*
 PETUA P. *ater.* aut P. *atris.* P. *atriæ.* Deinde ſubdit, aptiſſime *Plinium* *neg. c. 29.*
 dixiſſe, & quaſi hanc monetam ante oculos habuiſſet: *Inſtar PERPE-*
TUI CONGLIARII reor AFFLUENTIAM ANNONAE. Hæc namque
 ſub *Trajano* tanta fuit, ut de ejus ætate *Arnobius* ſcriberet: *Sæpenu-* *Arnob. adv.*
mero maximos ANNONAE fuiſſe proventus, vilitates, atque ABUNDAN- *Gent. L. I.*
TIAS RERUM tantas, ut commercio ſtreperent univerſa. Quod vero ma- *p. 9.*
 gis mirum, *Trajano* ſuo ſic *Plinius* ajebat. *Percrebuerat antiquitus, Ur-* *Plin. l. c.*
bem noſtram (i. e. Romam) niſi opibus Ægypti, ali, ſuſtentarique non *30. & 31.*
poſſe. Superbiebat ventofa & inſolens natio, quod victorem quidem populum,
paſceret tamen, quodque in ſuo Flumine (Nilo videlicet) in ſuis manibus,
vel ABUNDANTIA noſtra, vel fames eſſet. - - Nunc porro ANNONA,
tuis opibus, tua cura, USQUE ILLIC REDUNDAT: Ægypto nimi-
*rum tunc ſterili, Roma frugibus per Providentiam *Trajani* affluente.*
*Cujus ex parte modum docet *Victor Schotti*, de hoc Principe ſic aſſe-* *Vict. Schott*
rens: ANNONAE PERPETUAE mire conſultum, reperto, firmatoque Pi- *de Caſſ. c.*
ſtorum collegio. *XIII.*

PUB. Numum, qui hodie nobis reſtat, ultimum atque Græcum, VIII.
 unde accerſeris, ignoro. *TULL.* Non abs re mihi viſum, hunc nu-
 mum cæteris conjungere, ut *Annonæ*, *Providentiæ*, *Liberalitati*, *Cereri*,
Uberitati, *Abundantiæ*, quibus omnibus nominibus latini quidem numi
Auguſtorum de frumento procurando munificam & magnificam ſolicitu-
 dinem

dinem commendant, Græca quoque, & synonyma fere vox ΕΥΘΗΝΙΑ accederet. Deinde, ut videres, quantum Fœcunditatem suam subinde iactaverit laudata antehac Ægyptus. Numum hunc posteriori duntaxat sui parte, post Cl. Morellium, vulgavit iterum Ill. Spanhemius: qui anteriore parte refert Caput ac titulos Antonini Pii. In Aversa cubat mulier, quid nescio, coronæ in morem, capiti impositum habens, quæ Ægyptum exhibet. Dextra extenta, qua etiam spicas gestat cum papaveribus, explicat linteum gremii sui, frugibus plenum: lævo brachio Cornucopiæ sustinet. Accubat autem eidem etiam Sphynx: de qua nos olim *Exercit. Proœm. Dial. XI. n. 10. seqq.* uberius differimus. *Epigraphe* græca est sola vox: ΕΥΘΗΝΙΑ: i. e. FERTILITAS. Hanc porro, quæ tamen Romanis toties Annonam dedit, ac postquam in Provinciam a Quiritibus redacta est, annum Canonem bis centenorum millium modiorum frumenti præstare debuit, ea tamen conditione, ut Romani ipsi suis navibus tam infinitam copiam auferrent, uti supra *Plinius* indigne tulit, ita & contra eam, similiter *Tacitus* stomachatus est, in hunc modum scribens. *A hercule, olim ex Italiæ Regionibus longinquas in provincias commeatus portabant, nec nunc in fecunditate laboratur: sed Africam potius, & Ægyptum exercemus, navibusque & casibus, vita Populi Romani permessa est.*

*Tacit. An-
not. L.
XII. c. 43.*

IX.

PUB. Mirum profecto hæc omnia me recreant, atque plurimum in re pulcherrima, tamque utili populo, quam Augustis gloriosa erudiunt. Levat Principes nostros hæc cura, Annonam providendi, Artium major, & agrorum colendorum, quam tractandorum armorum apud subditos labor atque industria, dum artefactis panis redimitur. Levat insuper major cum Principum, tum Provinciarum conjunctio, atque Concordia, flos deinde mercimoniorum. Quæ singula fere Romam bellicosam, omnia vel subicere sibi molientem, vel subjecta tueri coactam undique, plerumque destituerunt. *TULL.* Hæc ut ita sint, nunquam tamen Principi bono deerit copia, Patris Patriæ nomen in hac etiam parte tuendi, procurata, & æquo saltem facilique pretio dispensata in pauperiores Annona: nisi eundem Patris affectus destituerit. Sunt provinciæ, quibus iniquior annus, aut belli sæviens flamma, famem non raro indicit. Sunt integri egentium populi, quos omnis dudum fortuna projecit. His *Trajanum*, his *Antoninum Pium*, his denique etiam *Severum Pertinacem* optemus. *PUB.* Etiamne hic Imperator, quod hæcenus nullo numo didici, *Frumentationis* gloria inter Quirites excellit? *TULL.* Omnino teste Numo æreo magno, quem non possum non apud te in fine hujus


hujus Dialogi nostri saltem recensere, pingente illam utraque sui facie Cl. *Liebe* in Gazæ Fridericianæ Cimeliis rarioribus. *Adversam* ornant Caput laureatum, ac tituli: IMP. CAES. SEPT. *imius* SEV. *erus*. PERT. *inax*. AVG. *ustus*. In *Aversa* stat Mercurius Gallorum, præter levem syndonem nudus, dextra Caduceum, propriam sibi notam, sed inter geminas spicas ostentans, læva sceptrum gestans, aut verius Neptuni tridentem, e capite radios, Apollinis in morem, emittens. Lemma: SÆCVLO FRVGIFER: additis residuis *Severi* titulis: TRIBUN P. *otest*. COS. *ul*.

PVB. Pulcherrimum *Seculi Frugiferi* elogium in rem nostram, ut arbitror, maxime pertinet. TULL. Quomodo id in tempora *Severi* conuenit, primum expediam: pauca *Spartiani* verba te plurimum doceant. Scribit nimirum ille de *Septim. Severo* in hunc modum. REI FRUMENTARIÆ, quam minimam repperat, ita consuluit, ut excedens vita, SEPTEM ANNORVM CANONEM Populo Romano reliquerit. Et iterum expressius. *Moriens septem annorum CANONEM*, ita, ut quotidiana Septuaginta quinque millia modiorum expendi possent, reliquit. PVB. O vere sub hoc Principe *Seculum Frugiferum*! Faxit DEUS, ut & nostrum huic simile evadat. TULL. De *Mercurio* prolixum hic esse hujus non est loci, sed Partis IV. Verumtamen *Julio Cæsari* saltem auctemur. Deum maxime MERCVRIVM colunt, ait de Gallis: hujus sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium faciunt: hunc viarum, atque itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Ab Apolline & Sole eum diversum non esse demonstrat *Macrobius*: unde est Capite, solis in modum radiante. Vulcano tridentem esse suffuratum, *Lucianus* tradit. Inde totius in numo imaginis causam habes. Addit autem Cl. *Liebe*, si *Mercurius* hic *Gallicanus* adstet, quemadmodum in alio *Clodii Albini* numo, similem figuram redhibente, adstare interpretatur Cl. *Vaillantius*, existimandum fore, hunc *Severi* numum eo tempore cûsum, quo is æmulum *Albinum* acerbissima victoria ad *Lugdunum* in *Gallia* contrivit. *Vulgavit* porro *Biragus*, quod rursus ex *Ill. Spanhemio* disco, aliûm *Severi* numum, cum lemmate: ANNONA AETERNA. Exstat & alter *Caracallæ*, qui filius erat *Severi*, cum epigraphe: ANNONA AVG. *usti*. SÆCVLI FELICISSIMI. Ecce, *Publi Optime*, quæ *Gloria Augustis* ab *Annona* provide procurata & largiter in plebes impensa, ope numorum, etiamnum superstes sit. PVB. Immensa, ut video, numorum est penus: quidquid ex-

cufferis, semper aliud latet. TULL. Sic etiam arbor ramis onusta, de qua Poeta :

-- -- Uno avulso non deficit alter,

Convalescant ergo ingenia magna, quousque licet, etiam
post messem legere spicas.



DIALOGUS XIII.

De

CONGIARIIDATI, & LIBERALITATIS AVGV-
STAE actu impensæ nonnullis Schematibus.

PVBLIVS.

1.

Parum se, ut videtur, gloriosos rebantur, Augusti, parum Senatus ac Populus gratus, si *Liberalitas* a Principibus impensâ unica tantum signaretur imagine, brevique titulo laudaretur non autem ipsa, in quibus hæc tribuebatur, theatra, & universus quodammodo tam celeberrimi Beneficii Apparatus, magnifico schemate in ævum transirent. Si namque postremam, quæ in Tabula tua IV. pro hoc & sequenti Dialogo nobis superest, Numorum Decadem intuear, populum veluti figurarum video, Theatri integri scenas, Romam quodammodo Compendio pictam. TULL. Cave, risum teneant amici. Decem tu numulos ad Romam? Quæ tibi in Regiis Cimeliis somnia contingerent, ubi hujusmodi schematum totidem facile Hecatombes obstupesceres? Sed recte dixeras, Augustæ Gloriæ, tantique Populi gratitudini decessurum hæud parum fuisse, nisi nobis etiamnum spectandum numi præberent, quod universam olim Romam tantis incedere lætitiis, tanta capi admiratione effecit. Deforet autem & nostræ tum curiositati, tum eruditioni, si parcior artificum veterum manus substructiones theatrorum, gradusque ad illa, Imperatorum largientium, recipientium pauperum, adstantium procerum atque satellitum imagines prætermisisset.

set. III. *Spanhemio* teste, vix aliunde, quam ex horum contemplatione numorum, omnem solemnem hujus, ac toties iteratam Beneficentiam ritum, ac morem intelliges: qui non semel viris doctissimis imposuit. Quorum in numero celeberrimus ille τῶ πᾶσι *Salmastus* perperam plane existimaverat, Inscriptionem illam apud *Gruterum*: Quae divisa sunt Populo PER GRADUS: accipiendam fore de Gradibus Amphitheatrorum, quasi ibidem Congiaria data essent: numis contra ad oculum monstrantibus, erectum fuisse pro Largitionibus suggestum, ad quem Gradibus ascendere Congium recepturi debebant. Unde frequentes illae in Codice *Theodosiano* loquendi formulae: de Gradibus, in Gradibus, ex Gradibus Panem distribuere. Spectatum ergo jam veni, Optime Publi, Congium quidem non recepturus: quinam vero, ac quomodo olim eadem dederint, praesens veluti rerum arbiter erudite cogniturus.

Spanhem.
Tom. II.
p. 531.
Gruter.
Thesaur. p.
CLXXV.
8.

PUB. Primi duo numi, mea e penu a te selecti, suggestum nullum habent. Prior quippe æris medii, *Philippi*, si vultum fere imberbem considerem, junioris, cum capite tamen laureato in Antica, & titulis: IMP. CAES. M. arcus. JVL. ius PHILIPPVS AVGG. usus inde in postica ipsum denuo, unacum Patre Augusto, sellis ambos curulibus insidentes exhibet, cum hastis in læva, crumenis vero turgentibus in dextra, quam uterque extendit. Circum lego: LIBERALITAS AVGG. usorum. III. tia. TULL. Jam in Parte I. Dial. VIII. n. 2. te monui, in numis *Philipporum* eam occurrere insolentiam, ut, quamvis *Philippus junior*, duodennis adhuc puer, cum patre jam occisus ab historia referatur, numi tamen nonnulli eundem cum vultu sistant multum adultiore, immo barbato. Fortè re vera adultior fuit, atque virilem prope attigit ætatem. Neque hoc perplexitate vacat, scribi hic juniorem *Philippum*, nisi senior esse debeat, Imperatorem *Cæsarem*, & *Augustum*, ac lauream ferre: & ne dubitemus, rursus in *Aversa* legi: Liberalitas Augustorum. Unde inferre licet, Millenarii ab Urbe condita seculi causa, amplius condecorandi, filium a patre in plenum supremi fastigii consortium admissum fuisse: tametsi fortassis hæc gratia non tam intra imperii, quod per ætatem non licuit, quam solorum nominum communionem constiterit. Cæterum sculptor, in area minori compendio usus, satis habuit, largientes principes, confessum eorum, & quod impenderant, pecuniæ congium sola crumena notare, adjecto insuper Beneficii hujus jam tertium collati numero. *Congiaria* porro ut præter ludos, quorum similes nunquam alias Roma viderat, incredibilibus sumptibus daret *Philippus*, tum hæc ipsa solemnitas poposcit, tum vero etiam; & maxime quidem

II.

Tab. IV.
Num. XI.

culpa, quam omni populo execrabilem, indignissima Gordiani Pii cæde patrauerat. Hanc utcunque donis redimere oportuit.

II. PVB. Numus alter æris parvi *Probum* refert Imperatorem in *Adversa*. Tab. IV. *sa*, cum corona radiante, ac titulis: IMP. CAES. M. arcus. AVR. el. Num. XI. PROBVS AVG. *ustus*. In *Aversa* stat Mercurius cum petaso alato in capite, fere nudus, exiguo tantum palliolo, læva caduceum gestat, dextra vero extenta veluti offert marsupium. Penes literæ: F. T. quas exponere nequeo: circum lego: PIETAS AVGVSTOR. *um* Infra: KA. ◡. ▽. ubi rursus te Oedipum posco. TVLL. Non literæ mihi ænigma sunt: priores namque legunt: F. *elicitas*. T. *emporum*. Inferiores: KA. *rtagine* ▽. *Officina quarta*. Lunulam intermediam monetarii reputant signum. Sed vox AVGVSTOR. *um* multo difficiliorem, immo Gordium mihi implicat nodum. Quis namque cum *Probo* unquam *Co-Augustus* fuit. Est tibi etiam *Cari* numus, cum simillima Mercurii imagine in *Aversa*, & eodem lemmate: PIETAS AVGVSTOR. *um* Hoc vero ibidem non fallit, cum *Carus* pater *Carinum* & *Numerianum* filios in imperii Consortium admiserit. Quinimmo Cl. *Patinus* utriusque horum pares numos, cum Mercurio, & Pietatis lemmate exhibet. In *Probi* autem numo vox AVGVSTOR. non fallere certo non potest. Ait quidem *Patarolius*, de *Probo* agens: Uxorem PROBI, quam sane ab ipso habitam constat & quidem LIBERORVM MATREM, nonnulli IVLIAM PROCLAM nominant: qua auctoritate, non satis notum. In Martyrologio Romano mentio fit Sancti HADRIANI, Filii PROBI CAESARIS: qui, Licinio persecutionem in Christianos commotam exprobrans, ab eodem iussus est occidi. Cl. deinde *Genebrierius*, de Magnia Urbica differens, ex *Vopisco* affert primum, cum *Aelius Scorpianus* Consul finem dicendi fecisset, sic acclamatum esse: PROBE *Auguste*, TE cum TVIS Dii custodiant! Mox alia *Vopisci* verba subjungit: POSTERI PROBI, vel odio, vel invidia, rem Romanam (i. e. Urbem, aut Reipublicæ curam) fugerunt, & in Italia circa Veronam, & Benacum lacum - - larem locaverunt. Fere itaque constat, *Probo* liberos fuisse. Quoniam tamen nemo meminit, quempiam a se Cæsarem dictum, vel Imperii Collegam assumtum: non poterat in ejus numo scribi: *Pietas Augustorum*.

Patin. Imp.
p. 351.
Patarol.
Ser. Augg.
p. m. 58.

Genebrier.
in Elect.
R. Num.
Hamb.
p. 234.

IV. Prope itaque aberat, ut crederem, monetarii incuria, cum *Cari* numum excudere deberet, in typario *Adversæ* arripiendo errorem intervenisse, ut *Probi* imaginem pro altera *Cari* apprehenderet. Obstetit vero rursus, quod in tuo saltem *Cari* numo literas F. T. in ipsa numi area interiore

riore descriptas minime videam : præterquam quod mos iste, lemmata hujusmodi, ut sunt : *Felicitas Temporum, securitas Reipublicæ, Beata Tranquillitas &c.* deficiente per oram numi spatio, media in numi area initialibus duntaxat literis signandi, ævo primum Constantiniano solemniter fuerit. Lemmatis itaque causa numum istum me capere non posse, libere fateor. Sed & perambiguum insuper, an hæc moneta *Liberalitatis* a *Probo*, vel a quocunque demum Principe impensæ testis existat. Non omnis crumena liberalis est. Cl. certe *Patinus*, dum *Herennii Etrusci* *Patin. Imp. p. 314.* numum exhibet, æque cum *Mercurii*, crumenam offerentis imagine, & epigraphe : *Pietas Augustorum* : nullam *Liberalitatis* mentionem ingerit : sed solum docet, *Mercurium* cum crumena pingi, quod ipse aurum, vel auri usum atque commercium primum reperit, inde *Ægyptiis* dictus *Aureus Deus*. Subdit verba *Codini*, e græco sic conversa : *Mercurium Deum lucri dicunt : unde & cum sacco pingitur.* III. porro *Spanhemius* disertè ait, Numos, in quibus *Mercurius* cum caduceo, & crumena visitur, addito lemmate : *PIETAS AVG. vel AVGG. ustorum*, Religionem Principum, ac Pietatem in Deos designare. Primum quidem : quia *Mercurius* est summus Deorum præco, sique *Diodoro Siculo* credimus, Deorum cultum, ac sacrificia constituit. Deinde quod facultatem habere creditus sit, testatam hominum in Deos religionem donis remunerandi. Unde exstat *Gallieni* numus, *Mercurium* cum caduceo, & crumena sistens, atque inscriptus : *DONA AVG. usti.* *Codin. in Constantinop. apud Patin. l. c. Spanhem. Tom. II. p. 527. Diodor. Sicul. L. I. p. 10*

PUB. Quantum non interest oculum inter atque ingenium? quam cito incurius fallit aspectus? quam feliciter contra maturum examen errorum nebulam dissipat? Diligentius jam hunc numum tenebo, quem prope in vilioribus habui. Qui vero sequitur numus æris medii apud me, estque *Septimii Severi*, majore jam pompa instruitur, & *Liberalitatis* Augustæ actu impensæ publicum sistit theatrum. *Adversa* ejus circum caput, laurea illustre, sic habet : *SEPTIMIUS SEVERUS PIVS AVG.* In *Aversa* suggestum intueor, cujus latus anterior quatuordecim punctis video notatum : an ornatus, mysterii causa, ignoro. *TVLL. Tab. IV. Num. XIII.* Sunt, quibus videtur, hæc puncta in suggestu, æque ac in tessera, seu tabella ærea, modum notare Largitionis, ac totidem esse solere, quot dona uni largienda forent. *PVB.* In suggestu tres confident, senior prior, post eum juniores duo, laureati omnes, ut fere existimo. *TULL. Severus* nempe pater, filiique *Caracalla* ac *Geta*, dicti Cæsares primum, postea & Augusti. *PUB.* Omnes dextram extendunt, quasi dona daturi. Ante eos stat figura muliebris, quæ ascendenti per scalam, multis gradibus

dibus constructam, egenti personæ lævam porrigit, ut vel eam ad Principes largituros deducat, vel ipsa donum eorum, forte numos, in manum recepturi contradat. TULL. Hæc fœmina vel ipsius *Liberalitatis* imago est, quamquam neque tesseram congiariam, neque cornucopiæ gesset: vel, quod sentit Cl. *Patinus*, *Julia* Augusta, altera *Severi* conjux. PUB. Lemma est, supra partim, partim infra descriptum: FELICITAS SECVLI. Ad oram marginis dextram lævamque literæ consuetæ S. C. leguntur. TULL. Quanta *Severus* Abundantia Populo Romano de frumento providerit, etiam post mortem suam in septennium suffectura, Dialogo priori ex *Spartiano* audisti. Idem vero scribit, *Severum* insuper *Militibus tantum*, quantum nemo Principum elargitum esse. Cum itaque homines donis felices se fieri reputent, inscripta est huic numo, Liberalitatem exhibenti, *Felicitas Seculi*. Ita fere Cl. *Patinus*. Hic porro numus in tuis e dignioribus est, quemadmodum & cæteri huic similes.

Patin. Imp.
P. 23.

VI. PUB. Qui vero eundem in Tabula tua excipit, inter meos non
Zant. XII. est. TULL. Pictus vero est a *Vico* jubente Com. *Zantano*, estque *Titi*
Cæs. Tit. Imperatoris, de quo egregio Principe paucis multa *Suetonius* prædicat,
Ær. 22. inquit: Nemine ante se BENEFICENTIA minor. PUB. In *Adversa*
Sucton. in Tit. c. 7. Caput utique *Titi* adstabit, & nomen. *Aversa* suggestum denuo exhibet,
Tab. IV. & Imperatorem lauro inclitum, qui læva sceptrum ducale tenet, extenta dextra
Num. peculiare supra scabellum, peristromate lustratum, confidentem. Ante
XIV. eum stat vir, tesseram æneam punctis notatam in altum efferens, ut
omnium oculis, quantum recipere possent, exhibeat. Supremis
in gradibus vir alius consistit, linteum, quod ab humero lævo per
tergum ei dependet, ad munus captandum explicans. Retro in suggestu
Minervæ imago galeata stat, cum hasta, & parvulo tropheo. Epigraphe:
CONGIARUM. TERtium. P.opulo. R.omano. IMP.eratoris, vel ab
(quod subauditur) Imperatore. DAT.um. Infra lego: S. C. TULL.
An recte scripserit *Vicus*, neque forsitan syllabam IMP. propter literarum
exesarum vitium perperam inferuerit, viderint, qui hunc numum
possident. Aptior fuit epigraphe alterius numi, qui æque *Titi* est, ab III.
Spanh. un- *Spanhemio* laudati, sicque habentis: CONGIARIVM PRIMVM. P. R. DA-
de supra TVM. Minerva cur adstet, non facile dixero. Forte in ejus cultum
p. 529 hoc Congiarium destinavit *Titus*, aut edidit in ludis ejus, aut in loco,
ejus ædi vicino.

VII.

PUB. Numus insequens, quem aliunde denuo petisti, pompa longe majori fulget. TULL. Haud quippe e vernis est, sed inter principes

pes

pes superbit. Edidit illum III. *Spathemius* e regia Gallorum Gaza ty-^{Id. ibid.}
 po maximi moduli, sub *Alexandro Severo* cufum, sola tamen parte sui^{531.}
 posteriore depictum. PUB. Suggestus in eo sic constructus est, ut pari-^{Tab. IV.}
 etibus conclusus non sit, sed apertus, egenos quatuor ad Congiarum^{Num. XV.}
 accedentes videre sinat, quinto sub ipsam januam stante, qua proxime
 ad gradus ire licet: retro milite cum haka excubias tenente, ne subito,
 neve qui tesseram non haberet & nomen incisum, introiret. Iphis in
 gradibus egenus sextus consistit, cum congio, seu vasculo parvo, quo
 donum recipiat. Imperator porro *Alexander*, laureato capite, haud par-
 va cum maiestate, in sella curuli confidet, dextra extenta pateram ge-
 stans, læva baculum ducalem. TULL. Scribit nimirum *Lampridius*, *Alex-*
andrum ab amplissima Victoria Persica reducem, postquam in Capitolio,
 re divina facta, tunicas Persicas in templo locasset, Concionem hujus-
 modi habuisse ad populum. *Quirites: vicinus Persas: milites divites re-*
duximus: vobis CONGIARIVM pollicemur: cras ludos Circenses Persicos
dabimus Et infra: *Aëtis Circensibus, & item Ludis Scenicis, deinceps CON-*
GIARIVM P. R. DEDIT. Tam vicinis ergo sacris, ludisque, ac con-
 giario, merito hoc in numo *Alexander* cum patera conspicitur. PUB.
 Necdum Apparatus hujus finis. Etenim ante Augustum stat *Liberalitas*
 habitu foeminae, cum Cornucopiae, ac tessera Congiario. Post illum
 præter satellitem, sive licetorem video aliam adhuc figuram togatam vi-
 rilem, ut videtur, mihi que ignotam. TULL. Forte potius foemina est:
 & quid, si *Julia* foret *Mamæ* Mater Augusti? ita conicere quidem, pro-
 nunciare non licet, PUB. Superest epigraphe: LIBERALITAS AVG.^{asti}
 III.^{tia.} TULL. Docet te hic numerus, *Alexandrum*, æterna celebrem
 memoria Principem, Quartum fuisse in plebes *Liberalem*. Et tamen ne-
 mini exosus, nisi militibus, ab his, prætensa vel suæ, vel Matris ava-
 ritiae causa occisus est, cum re vera disciplinae sibi impensæ severitatem
 horruissent, flendo sepelientes, quem fremendo feriebant. Alias porro
 numi hoc Beneficii genus ab *Antonino Pio* octavum, a *Caracalla* alias im-
 pio nonnum tamen impensum fuisse testantur.

PUB. Peculiari penitus forma est aliud *Liberalitatis* Augustæ mo-
 numentum, ad quod ordo noster jam vertit. TULL. In id certe cura
 mea incumbere jam debet omnino, ut unius quidem ejusdemque rei va-
 ria tamen schemata tibi ante oculos ponam: non tam, ut varietas te
 delectet, quam ut aptus reddare, paritate imaginum admonitus, olim
 nova multa, quæ forte in numis tibi occurrent, ipse pervestigandi, de-
 que iis, si etiam vitium tulerint ætatis, neque amplius epigraphas in-
 tegras

VII.

Spanb. l. c. tegras referant, rectius tamen statuendi. Cæterum III. *Spanhemio* jam iterum, uti semper & undique, debes, quæ in hoc tibi numismate placet: quod maximi denuo moduli in Regio Parisiis Gazophylacio nitet.

Est porro *Philippi* Senioris, quamquam *Adversæ* imaginem prætermiserit
 Tab. IV. Vir illustri. PUB. Quod in hoc typo maxime miror, est forma suggestus perelegans, & omnino peregrina, sine gradibus, in morem navis ornata constructa. Sedent in ea duo Augusti, *Philippi* nimirum ambo, Pater ac Filius laureati, & prior quidem cum scepro ducali, uterque dextram extendens, atque pateram tenens, forte ob paulo ante facta *Milliarii Seculi* sacra. Media post illos tertia figura an sedeat pariter, sive stet, viri sit, an mulieris, incertum. Forte sit *Marcia Otacilla Severa*, *Philippi* Senioris Conjux, junioris Mater. Ante ipsos stat *Liberalitas*, Imperatores intuens, tesseramque Annonariam, aut Congiariam in altum elevans. Retro omnes adstat alia adhuc imago muliebris stolata. Lemma: LIBERALITAS AVGG. *Augustorum*. TULL. Nobis sufficere debet, rem ipsam, ac qualemcunque Beneficii impensi modum nosse: imagines omnes, figurasque numerorum penitus excutere, uti necesse non est, ita neque per ævi tanti oblivionem conceditur. Facile porro est conjectu, ejusmodi solemnem Augustorum in publico confessum absque Proceribus & amicis præcipuis minime contigisse. Licebit interim tibi in femina retro stante *Otacillam*, in altera, quæ media post Imperatores apparet, filiam ejus, cujus quidem nomen ignoratur, contemplari. Hujusmodi post longam industriam verosimiliter tandem hariolari magis, quam deprehendere, iis indulgendum, quibus cum ingenio par quoque otium superest.



DIALOGUS XIV.

Alia LIBERALITATIS Augustæ in Plebem impensæ, & item ALIMENTORUM Parvulis præbitorum Schemata.

PUBLIUS.

GAudeo magnopere, dum in Liberalitatis Augustæ actu impensæ schematibus pergimus, meis iterum geminis numis formula sua a te fuisse concessa. Gratissimi sunt equidem mihi, quos aliunde, non parvum, immo necessarium in profectum meum, advocas numos, perraros illos, & elegantes: nescio tamen, quomodo fiat, ut vulgares illi, qui apud me sunt, multo me largius delectent. Vix locum apud me reperit illud Poetæ: I.

Fertilior seges est alienis semper in æris,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Mei omnes numuli quantuli quantuli sunt, afficiunt me amplius, plenius fatiant. *TULL.* Plurimum nempe interest inter rem ipsam, ejusque imaginem. Numos præsentés inspicere posse, artemque ipsam, & speciem Antiquitatis venerandam his oculis haurire, ut animum jucundius allicit, ita multo vehementius recreat. Ne dicam, uti nemo sibi ipsi fidelior est, ita quemlibet nostrum nemini præ se ipso tutius confidere. Dudum pronunciat Cl. *Patinus* de Numorum tractatione: *Nulli alii hic, nisi Patin. Imp. oculorum sensui fides est.* Putamus certe, fallere non posse, quod ipsi *Præfat.* cernimus: aliis vix unquam plenam fidem citra omnem formidinem damus. *P. 22* Id, quod tum equidem maxime accidit, cum ea, quæ a præstantissimis etiam, ac famæ illustrissimæ viris, & quos oraculi loco merito habemus, ad nos proficiscuntur, multorum tamen per famulas manus antea transeunt. Proclive est, pictori, sculptorive a prototypo aberrare: Calcographi deinde negligentia sæpe imaginum pars melior cerussa vel nulla, vel contra nimia tingitur. De scriptis quid dicam?

is, qui Autographum transcribit, quoties fallitur? qui fusiles in typographiis literas coordinant, quam cito labuntur, errant, transiliunt? qui corrigunt, quam oscitanter, qua incuria, quâ ignorantia celerem operam præcipitant? qui imprimunt deinde, qua solent esse festinatione, ut verba complura, subinde & lineæ in formis colore vacent, intraque prelum cohæreant, aut, quæ in margine sunt tenuioribus literis allegationes, nimio atramento furvescant? Tantæ molis hodie est, partum, licet ingenio feliciter exclusum, manu Auctoris diligenter exaratum, e prelo tamen sine, immo non cum plurima labe exire. Gemunt hoc etiam Exercitationes nostræ præmiales, & quæ Partem primam confecere: in quibus utrisque, sive imagines, sive typos consideres, non modica mendorum est seges. *PUB.* Quo delaberis, Honorande Tulli? non illuc ego tibi præivi. Prelo interim accidit, quod utero matris: hinc sine labe originis nemo egreditur, inde citra mendum excuditur nihil. *Aldi, Plantini, Elzevirii* ubi hodie? Sed norunt hoc eruditi: quare infontem ad forum non facile pertrahunt. Luant, qui peccant. *TULL.* Utinam illi: sed legentibus unde mederis, dum falsa pro veris pro claris obscura offendunt? *PUB.* Ferendum sane, quod emendare non possis. Rerum irrecuperabilium felix oblivio. *TULL.* Lætiora itaque cogitemus: agedum enarra, quos tuis e numis proxime pinxi.

II.
Tab. IV.
N. XVII.

PUB. Prior eorum æris medii parte anteriori Caput *Domitiani* in lauro exhibet cum elogiis: *IMP. CAES. DOMIT.ianus. AUG. GERM.anicus. P.ont. M.axim. TR.ibun. P.oteft. VIII.um. CENS.or. PERP.etuus P.at. P.atriæ.* In *Aversa* multum est imaginum. Primum namque apparet tectum cuiusdam Templi, et si lineæ murorum, ac parietum omiffæ. Conspicere vero licet idola quædam, Terminorum in morem truncata brachiis: quidam *Hermetes* dicunt. Sub templo sedet *Domitianus* humiliorem super suggestum: ad cuius pedes utrinque vasa duo majora, forte congia, aut certe modii. Dextra ille extenta parvulum vasculum porrigit ad unam duarum personarum, quæ ante ipsum stant, & quarum propinquior modium supra vasculum elevat, quasi frumentum in illud infusura. Epigraphe difficilior est, quam ut illam expedite percenseam, quoniam nonnihil dispersa. *TULL.* Ita lege: *COS.ul. XIII.tum. spectant hæc ad titulos Adversæ.* Sequitur: *LUD.i. SAEC.ulares.* (subaudi facti) Additur adhuc in ora numi: *A. POP.ulo.* Suggestui vero inscribitur reliquum: *FRUG.es. AC.ceptæ.* Nisi magis congrue legi debeat: *COS.ulatu. XIII.to. LUD.is. SAEC.ularibus. A. POP.ulo FRUG.es. AC.ceptæ.* *PUB.* Nunquam me alias legere docuisti: *Consulatu. TULL.*
Neque

Neque hic ita legere tibi præcipio : sensus tamen commodior fluere.
PUB. Mitto hanc vocem : reliquum vero totum quid rei sit ? *TULL.*
 Novum *Liberalitatis* genus se tibi hic pandit, neque unum solummodo,
 sed triplex : quam videlicet primum *Domitianus* in populum, Populus
 deinde in Deos, postremo tandem Dii rursus in populum exercere.

PUB. Nihilo sapienterem me reddis. *TULL.* Sapies illico. III.
 culares Anni, nequaquam tamen, ut apud nos, centesimus quisque, de
 quo infra, sicuti nobis etiam hodie, ita olim quoque veteribus unice so-
 lemnes erant, Gentibus æque, ac Hebræis. Præcipua tum solemnia fie-
 bant, sacris in Deorum honorem actis, atque Primitiis Frugum in templo
 oblati, deinde Ludis celebratis : ut reparato Seculo gratias Dii accipe-
 rent, & nova vocarentur in vota, novamque gratiam pollicerentur : ho-
 mines porro hoc præsidio tuti, nova tempora læti auspiciarentur. Nempe
 etiam in crassissima idololatriæ nocte ea tamen emicuit lux, ut probe
 intelligerent homines, sortem suam a cælo pendere. Romæ porro *Ludos*
Seculares aliquandiu intermissos uti *Suetonius* refert, amorum ratione diligen- *Sueton. in*
 tissime subducta, celebravit *Augustus*. Paris deinde *Gloriæ cupidus* *Claudi-*
us quasi anticipatos ab *Augusto*, & ipse egit, irrisa a populo præconis voce, *Id. in Claud.*
 qui invitabat ad *Ludos* quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset, cum *c. 21.*
 superforent adhuc, qui sub *Augusto* spectaverant. Fecit proinde hos *Lu-*
 dos denuo *Domitianus*, computata ratione temporum ab anno, non quo *Clau-*
 dius proxime, sed olim *Augustus* eos ediderat. Agi solebant æstivo, ac mes- *Id. in Do-*
 sis advenientis tempore, mense videlicet Junio, quo *Novæ* fruges habe- *mit. c. 4.*
 ri possent : atque in iis, vetustissima traditione ac consuetudine, univer-
 sus Populus, Diis horum ludorum præcipuis Præsidibus, *Apollini* nimi-
 rum sive *Soli*, *Dianæ* seu *Lunæ*, ac *Cereri*, quorum opera terræ sæcun-
 ditatem suam atque fertilitatem provenire credebant, Primitias frugum,
 puta tritici, hordei, atque fabarum dedicavit. Dedicatæ vero in tem-
 plis Fruges Populo rursus distributæ sunt a sacerdotibus, teste *Zosymo*,
 quali a Diis fideli suo cultori populo, in omen beatum futuræ toto hoc
 seculo ineunte felicitatis, fertilitatisque, oblatæ. Cape ergo jam *Numi*
 tui mysterium. Ludis a *Domitiano* editis, iisque secularibus, oportu-
 erant omnem Populum Primitias Frugum ad sacra offerre : quas iterum
 iis peractis reciperent. Prævenit autem *Domitianus* liberalitate sua ino-
 piam plebis, easque fruges, quæ offerendæ ab unoquoque erant, ipse
 prius Populo distribuit : Populus Diis obtulit : Sacerdotes Deorum nomi-
 ne rursus in Populum diviserunt. Hic sensus est Inscriptionis in *Numo* :
Ludis Sæcularibus a Populo Fruges acceptæ. Ita porro, & multo uberius

Spanhem. Tom. II. p. 538. seq. ad hunc numum, quem & ipse ære magno vulgavit III. *Spanhemius.* Nobis de sæcularibus ludis iterum iterumque fermo recurret.

IV. *PUB.* Reconditus sane numi hujus sensus, scitu dignus, me plane fugisset. Verumtamen jam iterum peculiare quid oculo præcurrente notavi in numo *Hadriani* æreo magno, quem fortuna propitia teneo. Ornant *Adversame* ejus Caput lauro incinctum, & nomina: IMP. CAES. NER. VA N. XVIII. TRAJANUS. HADRIANUS. AUG. *ustus.* In *Aversa* sequitur: PONT. MAX. TR. *ib. P. otest. COS. ul. II. dum.* Infra lego: LIBERAL. *itas. AUG. usti. S. C.* Media in area *Hudrianus* laureatus, dextra pateram, læva sceptrum ducale tenens, fellæ curuli insidet super suggestu, cujus anterior pars prominet scalæ conjuncta: lateribus ejus omnibus, quæ videntur, quinque puncta inscripta. Ante Imperatorem sedet *Promicondus*, qui scandenti per gradus militi (hastam enim tenet galeatus) quasi munus porrigit. Retro stat *Liberalitas* dea, dextra tesseram congiariam in altum efferens, læva sustinens signum militare. *TULL.* Memineris, puto, ex anterioribus, *Liberalitatem*, quam Augusti Populo impenderant *Congiarum*, quam vero in Milites contulere, *Donativi* nomine, phrasi veterum venire. Ecce hic *Donativi* in milites collati apparatus: quod discernere a *Congiarum* licet, monente III. *Spanhemio* si miles est, qui munus recipit, & si dea signum militare præter tesseram tenet. Pari fere ratione, quæ attendi debet in numis *Coloniæ*. Cum namque *Coloniæ* introductæ typus communiter sit *Vir boves* agens: patet tamen, *Colonos* novos e militibus assumptos esse, si in numis aut *Vexillum*, aut signa militaria post boves adjecta sint. *PUB.* Et grata, & memori mente minime contemnendum hoc monitum tenebo. *TULL.* *Liberalitatem Hadriani* quod attinet, præsentem certe numum illustrat hæc brevis, sed plurimi ponderis *Spartiani* sententia de hoc Imperatore. *A MILITIBUS* propter curam *Exercitus* nimiam multum amatus est: simul, quod in eos *LIBERALIS-SIMUS* fuit.

V. *PUB.* Jam alio duo peregrina rursus cimelia aliunde advocasti, quibus *Tabulam* tuam *Quartam* concludis. *TULL.* Utraque ad lineas *Illustissimi* una atque *Eruditissimi Spanhemii* tibi depinxi, fonte limpidissimo nos semper potante. Qui prior est numus, magni est moduli, & insolito hactenus typo, laudans *Antoninum Pium.* *PUB.* Suggestum nempe habet in *Aversa*, cum scala præstructa: latera quinque punctis notata. Desuper sedet *Imperator* cultu *Augusto*: ante eum stat *Abundantia*, quæ suum *Copiæ* cornu in sinum ascendentis per gradus, lin-

Tab. IV. N. XIX. teum-

tenumque explicantis egeni liberaliter effundit. Infra solummodo legitur: *LIB.eralitas. III.tia.* Nova hæc figura est: novi attamen mysterii nihil hic reconditum arbitror. *TULL.* Quod itaque antiquum est, hic observemus. Vide sis, Optime Publi, ut vel semel & hoc expendamus, quam *Laconica Quiritum Sapientia!* Quam Augustum, quam celebre, quamque cumulatam Beneficium, ope duntaxat trium figurarum, non tribus verbis, sed tribus literis, sat superque tamen hic describitur! Nonne quam breviter, tam bene? Irato penitus Apolline natus fit, qui hæc non miratur, non amat, non commendat. *PUB.* Miror, amo, commendo. Sed dicet nonnemq, tantum Laconismum iis quidem sufficere, qui in Re Roma atque Numaria jam non mediocriter sapiunt: apud eum vero, qui in illa hospes adhuc & peregrinus est, tantam brevitatem, ut capiat omne, quod in recessu habet, longa præfatione indigere. *TULL.* Non abnuo, qui a limine tantum Minervam salutarunt, non aliter in his, ac per somnium videre. Hoc vero sine stomacho neutiquam tulerim, eos, qui de apertis sibi Musarum januis undique intumescunt, tam arroganter fastidire hæc brevia, ut in his sapere longa illis infania sit. *PUB.* Ranam aliis suam, sive, si malint, Dianam: nos nostram colamus. Unico iterum verbo lemma numi, qui restat, absolvitur: *cujus tamen imagines citra Oedipum non capio.*

TULL. Maximorum e genere est, & in duobus, quæ a me hæc-
 nus non didiceras, opportune te instruet. Primum est, *Liberalitatem* VI.
S. Hieron.
Ep. ad Sal-
vin. Tom.
I. p. 74.
 Augustam in numis subinde *Largitionis* etiam vocabulo esse celebratam:
 juxta quod nempe D. *Hieronymus* olim de *Nebridii* nobilissimi adolescen-
 tis in pauperes Beneficentia scribebat: *Quidquid & Imperatoris LARGI-
 TIO & honoris insula dederant, in usus pauperum conferebat.* Alterum de-
 inde: Summi Fastigii Romani Principes non in egenos duntaxat, Ple-
 bemque Urbanam, aut etiam in Equites tantum, subinde & Senatores,
 verum etiam in Reges externos *Beneficos & Liberales* fuisse: quod novum
 prorsus, atque eximium est. *Adversa* præstantissimi hujus numi, ab Ill. Tab. IV.
N. XX.
Spanhemio vulgati, capite juveni fulget ac laureato *Constantii*, & ita in-
 scribitur: *D.ominus. N.oster. CONSTANTINUS. P.ius. F.elix. AUG.ustus.*
 In *Aversa* medium occupat Imperator sedens, capite veluti mitrato, ad-
 stante eidem a dextris figura in corona radiante, habitu sese inclinantis,
 & humiliantis: *cujus dextram apprehendit Imperator, eique læva sua,*
qua veluti chartam convolutam gestare videtur, quasi donum tribuit.
 Ad lævam adstat figura muliebris, ut apparet, galeata tamen,
 cum hasta. Lemma est: *LARGITIO.* Non ita claræ sunt hæc ima-

gines, ut dubium nullum relinquerent, atque doctorum opiniones non in contraria scinderent.

VII.

Sententia doctiss. *Chiffletii* de hoc numo fuit, pertinere eundem ad *Constantium* filium *Constantini Magni*, & referendum videri ad eam Liberalitatem, qua, teste *Anmiano Marcellino*, profecutus est Regem *Arsacem*. Scribit enim *Anmianus* alicubi: *CONSTANTIUS* accitum *ARSACEM* Armeniæ Regem, *SUMMA*que *LIBERALITATE* susceptum, præmonēbat, & hortabatur, ut nobis amicus esse perseveraret, & fidus. Mox vero subdit: Qui *MUNERATUS* cum comitibus, quos duxerat, rediit ad Regnum, nihil ausus postea temerare promissorum, obligatus *GRATIARUM* multiplici nexu *CONSTANTIO*. Cui loco & applicationi ad hunc numum lucem insuper fœnerari possit *Spartianus*, de simili *Hadriani* in Reges Albanorum & Hiberorum munificentia scribens: *REGES* eorum *LARGITIONIBUS* profecutus est, quum ad illum venire contempsissent. Huic sententiæ non refragatur *Il. Spanhemius*. Forte tamen videri nonnemini possit, maneribus conciliatum *Arsacem*, ne Romanis obstitet, vix demum satis dignam esse materiam auro vel ære perenni: quoniam hoc factum non tam ad *Gloriam* facit, quam ignominiam *Augusti*, ut qui emere pacem duntaxat debuerit. Protulit deinde *Cl. Vaillantius* geminos numos. Priorem, huic fere similem, retulit ad *Constantium Chlorum*, *Constantini Magni* patrem: in quo dissentientem sibi *Spanhemium* habet, cum vultus juvenis in *Adversa* Juniore *Constantium*, Nepotem *Chlori*, veluti certissime indicet. Cæterum altero in numo nonnihil diverso *Vaillantius* sedere putat mulierem potius, quam Virum principem, cui adstans cum inclinatione *Constantius junior* manum deosculetur: ad lævam vero in figura galeata Romam videre sibi visus est. Hæc, non plura, refert *Spanhemius*, remque totam in medio relinquit. Relinquamus & nos, certi interim per lemma, unicamque vocem: *LARGITIO*: quamquam hic Liberalitatem certe prædicari, quamvis non constet, in quem illa certo collata sit. Quoniam vero hora necdum effluxit, absoluta licet Tabula quarta, inchoemus tamen hodie etiam quintam, & ad Beneficium Alimentationis parvulorum convertamur.

VIII.

PUB. Ergo necdum omnem Patrum Patriæ Augustorum in subditis, tanquam filios, Pietatem absolvimus? *TULL.* Quemadmodum inopia & egestas modum habent, ita & Beneficentia laude & merito discrepat. Ille omnium maxime miseretur, per quem juvantur, qui se ipsos juvare non possunt. Egentium omnium parvuli miserimi sunt: utpote

utpote quibus ad parandum sibi panem & ingenium defunt, & vires. Quinimmo, dum etiam Largitio publica fit, hic parvulus grex neque accurrere facile, neque cuneum perrumpere potest: victitare interim, nisi pane, tam parum valet, atque adulti. Præcipua *Cæsaris Augusti* fama etiamnum floret, quod, prædicante *Suetonio*, dum *CONGIARIA* populo frequenter dedit, ne *MINORES* quidem *PUEROS* præteriret: quamvis alias nonnisi ab undecimo ætatis anno accipere consuessent. Sed plus ultra progressa *Pietas Trajani*. Ne enim in turba, quæ ad *Congiaria*, & præcipue ad *Frumentationem* conveniret, parvuli opprimerentur in ulnis matrum, variaque damna paterentur: eisdem, idque non in Urbe solum, sed & in universa Italia, peculiarja sua Alimenta constituit. Causam more suo festive *Plinius* reddidit, ajens: *Ut jam inde ab infantia PATREM PUBLICUM* munere Educationis experirentur. Haud vero parvum, sed amplissimum fuisse sic aliorum numerum, paulo post ita, sane elegantissime prædicat. *Paulo minus Patres Conscripti*, quinque millia ingenuorum fuerunt, quæ *LIBERALITAS* Principis nostri conquestivæ, invenit, adscivit. Hi, *Subsidium bellorum*, *Ornamentum pacis*, *PUBLICIS SUMTIBUS ALUNTUR*, Patriamque non ut patriam tantum, verum etiam ut *ALTRICEM*, amare condiscunt. Nonne singulis horum recte *Claudianus* accinuisse, quod postea *Honorio* suo, Romæ educato atque adulto, pulcherrime cantavit.

Sueton. in Aug. c. 41.

Plin. Pa-neg. c. 26.

Id. ibid. c. 28.

Claudian. de VI. Consul. Hon. v. 77. seqq.

Hinc tibi concreta radice tenacius hæsit,
Et penitus totis inolevit ROMA medullis,
Dilectæque Urbis tenero conceptus ab ungue
TECUM CREVIT AMOR.

Non poterat non tam Augusta Beneficentia mereri Gratitude publicam: cujus testis est Marmor vetustum, ita apud *Gruterum* inscriptum.

Gruter. Vet. Inscript. p. 1084.

IMP. NERVAE. TRAIAN. AUG.
GERM. P. MAX. TRIB. POTEST. COS. IIII. P. P.
NOMINE PUELLORUM PUELLARUMQUE
ULPIANORUM EX S. C. P.

Ulpianos dici voluit parvulos, quibus alimenta constituit *Trajanus*, a Gentili nomine suo, quod erat *Ulpus*. Durabat hæc parvulorum civium, quæ phrasis iterum *Plinii* est, e publico sustentatio usque ad *Severum Pertinacem*: de quo, tanto fere probro, nisi alia id largitate compensaverit,

Capitol. in verit, quanta fui Trajani Gloria, Capitolius afferuit : Alimentaria etiam
 Pertin.c.9' Compendia, quæ novem annorum ex instituto TRAIANI debebantur (videli-
 cet parvulis) obdurata verecundia sustulit.

X. PUB. Facile intelligo, non intra solum, quod ante recensueras, marmor constitisse Romanam Gratiudinem, sed numos etiam testes adhibuisse, dum primum Tabulæ tuæ quintæ numum, qui deest mihi, aspicio. TULL. Duos ejusmodi Ill. Spanhemius, non addita tamen imagine, describit. In primo eorum stat mulier, læva Cornucopiæ sustinens, dextra vero spicas geminas ad puerulum sibi adstantem protendens. In altero stat ipse Trajanus togatus, infanti, quem mulier adstans brachiis complectitur, spicas porrigens: infra parvulus alius idem beneficii præstolatur. Inscriptio ubique eadem, quæ in tuo sequenti, quem Cl. Patinus modulo eris medii vulgavit, & cujus ego lineas secutus sum. Adversa quidem capite Trajani, qui corona radiante ornatur, effulget, circumque legitur: IMP.eratori. CAES.ari. NER.ux. TRAIANO. OPTIMO. AVG.usto. GERM.anico. Tu porro Aversam enarra. PUB. Sedet bidem Imperator in sella curuli cum hasta, & accedenti ad se mulieri, quæ infantem unum brachio gestat, alterum manu deducit, dextram clementer, ac patrio porrigit affectu, puerulo præsertim, qui matris infidet brachio, admodum gestiente, quasi risu patrem cognosceret. Circum scribitur: S.e-natus.. P.opulus. Qu.e. R.omanus. OPTIMO PRINCIPI. Infra: ALIM.ent.a. ITAL.ia. Penes imagines: S. C. TULL. Nonne lallantes, panemque veluti rogantes parvulos audire tibi videris, & opere quodammodo exhiberi putas, quod summis iterum laudibus Plinius prædicavit? Ajebat ille Augusto suo: Hæc prima PARVULORUM CIVIUM vox aures tuas imbuit: quibus tu daturus ALIMENTA, hoc maximum præstitisti, ne rogarent. Præventi namque erant Trajani Liberalitate, priusquam recte fari possent. PUB. Digna profecto tam Optimi Principis maxima Pietas hujusmodi monumentis, quibus æterna evasit.

X. TULL. Neque vero eadem sine æmulis fuit. Antoninus enim Pius, quem universa virtutis aula, utinam & recta fides, infedisse videtur, mox etiam in honorem Conjugis suæ Faustinae, Puellas, quas dici voluit Faustinianas, non minimo numero constitutis alimentis nutritiv. Unde Lapidem Gruter. In-meruit, ita inscriptum: DIVO ANTONINO AUG.usto. PIO ALIMENTA-
 scrip.1032. RI. Secutus hæc eadem vestigiam Aurelius, teste Capitolino rursus Novas Puellas Faustinianas instituit in honorem Uxoris mortuæ, junioris nimirum Faustinae. Quod tamen Beneficium secundum fuit: quippe jam ante, ut idem Scri-

Scriptor insuper perhibet, adoptato *Lucio Vero*, & filia *Lucilla* eidem *Capitolin.*
desponsata, ambo Imperatores simul ob hanc conjunctionem *Pueros & Puellas* *in M. Aurel.*
novorum Nominum Frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt. Pro *novorum* *c. 7.*
Nominum vulgo quidem legitur *novorum hominum*: sed *Nominum* omnino
legendum esse, cum *Doctiff. Salmasio* contendit *Ill. Spanhemius*. Sensus
enim est, novis his *Pueris puellisque Alimentariis* nova *Nomina* indita
fuisse, ut nec *Ulpiani*, nec *Fausiniani* dicerentur. Insuper & *Alexander*
Severus, in hac parte *Augustis Antecessoribus* suis non inferior fuit, quod *Lamprid.*
ex *Lampridio* discimus. *Puellas & pueros* ait ille, quemadmodum *Antoninus* *in Alex.*
Fausinianas instituerat, Mamæanas, & Mamæanos constituit: nempe ut ma- *Sev. c. 57.*
trem *Mamæam* honoraret.

PUB. Lucem iterum clarissimam sequenti numo accendisti, qui ni- XI.
mirum, in meis non repertus, cum *Fausinianas* laudet *puellas*, vel *Pii*
debet esse, vel *Marci Antonini*. **TULL.** *Marci Aurelii* nullum existare
numum, qui institutas a se *Puellas Fausinianos juniores* nos doceat, monet
Ill. Spanhemius, cujus schola nunquam exeo. Quem vero tibi pinxi nu- *Spanh. l. c.*
mum, est *Fausinæ senioris*, cui maritus erat *Antoninus Pius*, filia *Fausina* *p. 544.*
junior fuit, socer *Marcus Aurelius*. Vulgavit eundem *Vir illustri* ex auro
medii moduli, una cum altero æris medii, sed paris argumenti. Hunc
ego enarrabo: in altero tibi cedam sermonem. Caput *Fausinæ* Matris
ornat *Aversam*; in *Aversa* illa rursus sedet in *Suggestu*, atque ambas ma-
nus extendit ad puellulam, quam eidem fœmina offert, ante *suggestum*
consistens. Proxime in *suggestu* adstat *Augustæ* fœmina altera, forsitan
Fausina filia, vel certe mulier curæ puellarum præposita: quæ teneras
puellulæ plantulas plane apprehendit. Lemma idem est, quod legis in
schemate a me picto, nunc a te exponendo: si notes, in ejus *Aversa*
existare Caput iterum *Fausinæ senioris*, cum titulo: *DIVA AVG.usta.*
FAVSTINA. Exhibetur enim hic, ut jam defuncta, *Divisque* addita.
PUB. In *Aversa* *Suggestus* ita constructus, ut *Templi* quodammodo for- *Tab. V.*
mam habeat: supra enim fornice clauditur. Sedet ibi *Fausina*, quasi *Num. II.*
adhuc superstes, veluti ad modium, rursus cum socia muliere: ambæ
dextras suas, quasi filiginem vel triticum hausturæ, & largituræ, ex-
tendunt. Ante eas fœmina alia utrique puellulam filiam brachiis elatam
offert. Substructio parietibus carens, & aperta, oculisque pervia, qua-
tuor alias mulieres exhibet: quarum duæ puellulas suas ad *suggestum* at-
tollunt, cæteræ adultiores filias manu conducunt. Circum, & infra le-
gitur: **PVELLAE FAVSTINIANAE.** Nulla jam subest apud me huic
numo difficultas, cum tu omnem antea expedieris: neque ego jam hoc
R
solum,

solum, sed permulta Augustæ Liberalitatis nomina tuo beneficio calleo. Quid superest, quam ut immensis me tibi nominibus obstrictum profitear? Dissolvere illa non licet, quandoquidem non cessas, me quotidie novis obærare. Perge vero perficere, quod cœpisti. Opus laudat artificem, probeque institutus discipulus Magistrum pulcherrime coronat.



DIALOGUS XV.

De

Beneficio REMISSORVM VECTIGALIVM ac
DEBITORVM.

TULLIVS.

I. *Sueton. in Vesp. c. 16*
Jam novum, illudque pulcherrimum in Principe, dulcissimum plebi, Beneficii genus aliquot in numis expendendum aggredere. Non tribuendo tantum, quod libet, sed & non auferendo, quod licet Princeps benefacit. Ærario, cujus facultas penes Principem esse debet, fiat Reipublicæ fortuna: sed non illo, quod ad instar charybdis omnes civium fortunas absorbet. Æqua vectigalia, æqua tributa: in iis vero cogendis, uti & dispenlandis, quod quidem *Pythagoras* omnes admonuit, Princeps pariter *Stateram ne transliat*. Non bonum, quod ferunt boni alias Principis *Vespasiani* dictum: Bonus odor lucri ex re qualibet. Unde sic de eo *Suetonius* inquit. *Sola est, in qua merito culpetur, pecunie cupiditas. Non enim contentus omiſſa sub Galba vectigalia revocasse, nova & gravia addidisse, & auxisse tributa provinciis, nonnullis & duplicasse &c.* Tametsi postea subdat: *Sunt contra qui opinentur, ad manubias, & rapinas necessitate compulsus, summa ærarii, Piscique inopia: de qua testificatus sit initio statim Principatus, professus, quadringentes millies opus esse, ut Respublica stare possit. Quod & verosimilius videtur, quando & MALE PARTIS OPTIME VSUS EST.* Bonum e contra factum quod *Jul. Capitolinus* de *M. Aurelio* gloria nunquam intermoritura, his inter cætera verbis eximie prædicat. *Cum autem* (inquit) *ad hoc bellum (videl. Marcomannicum) omne Ærarium exhausisset suum, neque in animum induceret, UT EXTRA ORDI-*

Jul. Capitol. in M. Aur.

ORDINEM PROVINCIALIBVS ALIQUID IMPERARET: in foro divi Trajani Auctionem Ornamentorum Imperialium fecit, vendiditque aurea pocula, & crystallina, & myrrhina, vasa etiam regia, & vestem uxoriam, sericam, & auratam gemmasque etiam &c. Patet hinc satis, optime Publi, quid in Principum laude ante omnia ætatem ferat: nempe *Remissa Vestigalia*, atque *Abolita Vetera*, & sublata cætera populi *Onera publica*. Atque hæc sola, ceu maxime *insignia liberalitatis ac Beneficentiæ Augustæ Monumenta*, & *Exempla* leguntur subinde in Numis, ad posterorum memoriam imitationemque consignata: neutiquam vero *Onera* hujusmodi a Principibus primum inducta, quæ, quo minus edicerentur, utque jam edicta rursus abolerentur, *Populus* tam sæpe, tam maxime scribitur deprecatus. Id, quod notat Ill. *Spanhemius* adversum nonnullos, perperam existimantes, per literas singulares, quæ in numis ævi Constantiniani, & quod proxime antecesserat, undique fere apparent, designata fuisse *Tributa*, numerumque, quoties ea societates potissimum *Mercatorum* Principi exolverint. Quæ literæ, ut te hætenus ex Cl. *Joberto* sæpe docui, *Urbem*, atque *Officinæ Monetalis* numerum, ubi numus signatus est, multo certius designant. *Hilaris* ergo jam *Numos* aliquot, supra dicto *Augustæ Beneficentiæ* genere illustres mecum intueri, & omnes quidem a me ad *lineas* mox commendati, ac perpetuo commendandi Ill. *Viri depictos*.

Spanhem.
Tom. II.
p. 547.

PUB. Quantum non summo huic Viro, tam sanguine splendido, quam *Muneribus Publicis* illustri, & *Eruditione* atque *Fama* perpetuo debet *Ars Vetus Numaria*, *Mundusque* universus: cui, ut hanc amet hodie, colatque pro dignitate, æstimet atque perficiat, ille felicissime suavit, atque persuasit. *TULL.* Recte laudas, quem nemo fatis. Sed operis ejus nunquam intermorituri profunditas tanta est, ut dicere liceat, tantundem fore, si illud *Tirones* illico accedere vellent, ac si præsumeret alter, qui nunquam prius levem carinam remo per lacum traduxerat, vastam statim *triremen* medio pelago regere. *PUB.* Felicem me, te tam *fideli interprete*. Agedum ergo, ediffere, numus proximus sibi quid velit, qui imaginum nihil in *Aversa*, quem solam pinxisti redhibet, sed solas literas *R. CC.* grandiusculas media in area fisisit? *TULL.* Neque in *Adversa* quidem *Capite* quopiam *Augusto* signatur, sed solum in area *Pileum* habet, qui pervulgata alias *Libertatis* est nota, quoniam e servitio manumissis, i. e. *Liberis* dictis, imponebatur. Juxta *pileum* literæ *S. C.* hunc numum *Senatus consulto* editum fatentur. *Circum* vero scribitur: *Caius. CAESAR. DIVI. AVG.usti. PRON.epos. AVG.ustus.* In

II.

Tab. V.
Num. III.

Aversa tituli *Caii* ita pergunt. *P.ont. M.ax. TR.ibun. P.otest. III.tium. COS.ul. TERT.ium. P.at. Patriæ.* Literarum trabalium vero *R. CC.* quæ medium tenent, rite legendarum causa in diversa abierunt *Eruditi.*

III. Pars quippe eorum, *Dionis Cassi* gravis alias *Scriptoris*, a *Caii* tamen ætate remoti, errore inducta, legebat: *R.emissa. CC.entesima.* Scripsit enim *Dio* primum de *Tiberio* sed perperam: *Pro DVCENTESIMA Væstigali CENTESIMAM* invexit, duplo scilicet onus majus. Rursum postea de *Cajo*, producto nimirum errore: *Væstigal CENTESIMAE*, quippe a *Tiberio*, quod ante dixerat, constitutæ, sustulit. Pugnât vero contra *Dionem* primum *Tacitus*: qui licet de *Tiberio* narrasset, retentam fuisse ab eo *Centesimam Rerum Venalium*, quantumvis *Populo* deprecante, refert tamen postea de eo, postquam *Cappadociæ* Regnum in provinciæ formam redactum esset: *Fructibus ejus levari posse CENTESIMAE Væstigal p of Jus* *Cesar*, *DVCENTESIMAM* imposserum statuit. Deinde *Suetonius* discrete de *Cajo* scribens: *DVCENTESIMAM Auctionem Italiæ remisit.* Ut ergo *C. geminum*, si in literarum numeralium ordinem referatur, bis Centum ordinarie denotat: ita & in hoc numo legendum: *R.emissa. CC. i. e. Ducentesima.* Supererant vero alii, qui has literas non numerales, sed initiales potius, aut verius *Compendium* vocis *Circenses* existimabant, ac proinde legere mallent: *R.esituti. C.ir. C.enses.* puta, *Ludi.* Sed enim *Remissæ Ducentesimæ* in vita *Caii*, quod supra visum, *Suetonius* discrete meminit: contra vero *Restitutorum* ab eo *Circensium Ludorum* nec *Au* or ullus synchronus, neque aliud idoneum eorum temporum, vetusque monumentum ullibi exstat. Præterquam quod nemo etiam scripserit, *abelitos* ante *Cajum Ludos Circenses* fuisse: unde consequens certe est, *Restitutione* eos haud eguisse. Uti ne ullo quidem exemplo, sive e numis, sive marmoribus, doceri potest, hoc literarum compendio *CC.* olim hanc vocem *Circenses* scribi exprimique solitam fuisse. Ita cum *Clariss. Antonio Gallando* consentit *Ill. Spanhemius.*

Galland. in El.R.Num. p. 342.

IV. *PUB.* Mirum mihi præ omnibus, *Caligulam*, tam atro ab omnibus notatum calculo, *Remissorum* nihilominus *Væstigalium* laudem maximam occupasse. *TULL.* Occupavit imperii initio, quo, ut scribit *Suetonius*, more *vasro Tiberii patris*, incendebat & ipse studia hominum omni genere *Popularitatis*, i. e. omnium affectus promereri studuit: & adeo quidem, ut auderet *Libellum de salute sua oblatum non recipere*, contendens, nihil sibi admissum, cur cuiquam *invisus* esset. *Profusissimæ* itaque fuit *Liberalitatis*: multis incendiorum damna supplevit: ac si quibus regna restituit, adjeicit & fru

Sueton. l. c. c. 15.

Id. ibid. c. 16.

fructum omnem *Vestigialiorum* & *redituum* *medii temporis*, ut *Antiocho* *Contageno* *L.LS.* (i. e. *sestertium*) *millies confiscatum*. Quæ non *Missilia*, ac *Congiaria*, immo & *Epulas* *populo* *dedit*? Quid non in *spectacula*, *ludos*, *munera gladiatoria*, *ædificia* *profudit*? Tantum sane, quod *denuo Suetonius* *infit*, ut *innumeras opes*, *totumque illud Tiberii* *Cæsaris* *vicies ac septies* *millies LSS.* *non toto vertente anno abstulerit*. Quid vero postea? *Exhaustus* *igitur*, atque *egens*, *pergit* *Scriptor* *nosler*, *ad rapinas* *convertit* *animum*, *vario* & *exquisitissimo* *Calumniarum*, & *Vestigialium* *genere*. PJB. Remissiffimo ergo prius *Vestigialia* *videtur*, ut *tanto plura* *essent*, quæ *postea* *raperet*: ac *grandinis* *instar* *egisse*, qui *segetes*, *postquam lætissime* *creverant*, *miserrime* *quassat*. Id c. 37. § 38.

TULL. Beatior *Galbæ* *memoria*, *cujus Beneficentiam*, *numus* *sequens* *deprædicat*, *tanto pretiosior* *Eruditis*, *quia docet*, *quod omnis* *Historia* *siluit*. *Dudum* *namque* *adverterunt* *Viri docti*, *Principum* *bre-* *terioris ævi* *atque imperii* *facta* *plerumque* *a* *Scriptoribus* *negligentius* *esse* *tradita*: *quorum* *tamen* *Gloriæ*, *propitio* *fato*, *elegantissimi* *numi*, *qui tandem* *in* *lucem* *iterum* *emerferunt*, *feliciter* *consulunt*. *Hi vero*, *ignotæ* *alias* *Gloriæ* *unici* *testes*, *merito* *in* *cæteris* *omnibus* *charissimi* *habentur*. *Sic Galbam*, *septimi* *duntaxat* *mensis* *brevissimum* *Principem*, *Remissi* *Vestigialis*, *quod* *Quadragesimam* *dixere*, *Beneficium* *Romæ* *præ-* *stitisse*, *non solum* *nemo* *scripsit*: *verum etiam* *Tacitus*, *vicinia* *puto* *Tem-* *porum* *delusus* (*proximus* *namque* *Neroni* *successit* *Galba*) *egregiam* *hanc* *Liberalitatem* *Neroni* *potius* *tribuerat*, *de* *ejus* *tempore* *scribens*: *Eodem* *anno*, *crebris* *populi* *flagitationibus*, *immodestiam* *publicanorum* (*qui* *videl.* *exactiones* *facerent*, *atque* *colligerent*) *arguentis*, *dubitavit* *Nero*, *an* *cuncta* *Vestigialia* *omitti* *juberet*, *IDQUE PVLCHERRIMUM DONVM GENERI MORTALIVM DARET?* *Sed* *impetum* *ejus*, *multum* *prius* *laudata* *magni-* *tudine* *animi*, *attinere* *senatores*, *dissolutionem* *imperii* *docendo*, *si* *fructus*, *quibus* *Respublica* *sustineretur*, *deminuerentur*. - - - *Ergo* *edixit* *Princeps*, *ut* *leges* *cujusque* *publici* *occultæ* *ad* *id* *tempus*, *proscriberentur*: - - - *Aliæque* *admodum* *æqua*: *quæ* *brevi* *servata*, *dein* *frustra* *habita* *sunt*. *Manet* *tamen* *ABOLITIO* *QVADRAGESIMAE* *Quinquagesimæque*, & *quæ* *alia* *exactionibus* *illicitis* *nomina* *publicani* *invenerant*. *Ubi* *sane* *non* *de* *aliis* *Vestigialibus*, *atque* *iis* *loquitur*, *quæ* *antea* *Portoria* *vocavit*: *quia* *de* *omnibus*, *quæcunque* *portabantur* *in* *via*, *Publicanis* *gravissimo* *sane* *onere* *numerari* *debuerant*, *prout* *refert* *Quintilianus* *his* *verbis*: *Præter* *instrumenta* *itineris* *omnes* *res* *QVADRAGESIMAM* *PUBLICAM* *debeant*. Tacit. An-
nal. XIII
c. 51.
Quintil.
Declamat.
CCCLIX.

VI. Gravissimus certe est præallegatus & excerptus *Taciti* locus: cui errorem tam palmarem subesse nemo facile suspicaretur, ut, quæ a *Galba* sunt gesta, ibidem de *Nerone*, cum tot conceptis non modo verbis, sed & circumstantibus plurimis asserantur, annorum insuper *Neronis* non postremo aliquo, sed eo, quo tertium Consulatum gessit, adeoque imperii quartum agebat, spemque adhuc optimam de se præbuit, assignato. Contendit nihilo secius Ill. *Spanhemius*, falsum fuisse hic *Tacitum*, eique subreptum esse, numos manifeste clamare, quotquot *Quadragesimam remissam* laudant: cum nullus eorum *Neronis* caput ferat, *Galbæ* vero omnes. Horum ille unum nude allegat, in cujus *Aversa* stet *Libertas* solito schemate, fœmina nimirum, cum pileo, & hasta pura, atque lemmate: LIBERTAS: & XL. R. i. c. *Quadragesima Remissa*. Tres deinde alios insuper pingit. Primum cum imagine Romæ galeatæ, stantis, accumbente sibi ad pedes clypeo: quæ dextra extenta victoriam parvulam gestat, lævum brachium tropheo imponit, addita epigraphe: ROMA. R. XL. Ne porro dubium esse possit, quomodo R. XL. legendum, pingit alterum numum, in quo videas arcum geminum cum gradibus erectum, stantibus desuper equis quaternis, ceu curru triumphali jungendis, cum clariori titulo: XXXX. gesima REMISSA. Hi duo anteriores numi cum sint moduli magni; subjungit insuper tertium æris medii, quem & ego tibi ad ejus lineas, penicillo meo tibi hic sisto. *PUB.* Elegans est, cumque ejus *Adversa* e dictis tuis Caput *Galbæ*, nomenque certo redhibeat, *Aversam* occupat Porticus Triumphalis, sed unico arcu, cum geminis desuper Equestribus statuis. Transire porro per arcum hominem video, manibus post terga ligatis, cujusmodi alii tres, omnes pari tam misero habitu insequuntur, captivi nempe, & in triumphum ducti. Lemma jam nullo planè literarum compendio scriptum est: QVADRAGENSVMA REMISSA. Positum hic veteri stilo *Quadragesima* pro *Quadragesima* reor. *TULL.* Rectè æstimas: diu enim multumque Veterum Orthographia huc illuc vagabatur, *Quintiliano* prolixè demonstrante, donec certus literarum usus teneret, maxime, si marmora & numos consulamus, quorum inscriptiones sæpe ab imperitis literatoribus confectæ sunt. Quid porro hac Epigraphe luculentius, quam omnino a *Galba* fuisse *Quadragesimam Remissam*? Huic certum testimonium dicunt tot numi. Potuit forsitan & *Nero* si fidem suam *Tacito*, quod optarem, constare velimus, hanc eandem antea remississe, sed residuo adhuc decennio imperii sui rursus exegisse, copiam hoc pacto faciens successori *Galbæ*, iterum remitendi.

Spanhem.
Tom. II.
p. 549.

Tab. V.
Num. IV.

Porticus Triumphales, in numis *Galbæ* expressos, arbitrari licet VII. aditare, sive solemniter ex Hispania in Urbem ingressus ergo, quamquam eum triumphasse *Suetonius* non scribat: sive ad renovandam priorem ejus gloriam, cum, Scriptore hoc perhibente, sub medium fere *Neronis* principatum, ob res, & tunc in Africa, & olim in Germania gestas Ornamenta Triumphalia acceperit. *PUB.* Abunde cum hoc, tum & anteriore numo, mihi probatur, quod antea edixeras, Principem non donando solum, quod libet, sed & non auferendo, quod licet, benefacere. *TULL.* Probabit hoc idem & sequens, insignem prædicans *Hadriani* Liberalitatem: non, quod Vectigalia, vel etiam Tributa sustulerit, sive remiserit: sed quod Debita sedecim annorum, in ære alias ærario suo solvenda, penitus aboleverit, chartis debitorum sive syngraphis publice combustis. Quemadmodum nempe Vectigalia, Tributa, cæteræque omnes Præstationes, quibus subditi Dominis suis tenentur, plebem, maxime egentiolem, plurimum gravant: ita major certe semper eorum pars solvendo non est, ac proinde nominibus veteribus nondum expunctis obstricta, novis insuper onerata, undique angitur, durisque ab exactoribus immensa molestia exagitur. Quid vero tandem Fiscus regius agat? A non habente auferre certe nihil potest: neque etiam, si luat in pelle, qui non habet in ære, Rex inde ditior fiet. Unicuique ergo Principi imperat fere, atque necessitatem imponit subditorum plurimorum egestas, ut multa, quæ inferre ærario neutiquam potest, gratiam faciens debiti, ultro remittat, atque aboleat. Quæ Beneficentia quamvis egentibus opes nullas addat, & conferat, inde tamen votis omnibus concupiscitur, atque impensa gaudio summo tenetur, quod saltem, & illos, qui exigere debent, & reliquos omnes, a quibus exigendum foret, ipsa exigendi perpetua acerbitate exolvat. *Procopii* certe, græci & antiqui *Procop. Ar-* Scriptoris effatum est, *Primo quidem solitum erat ab antiquo, unumquem-* *can. Histor.* *que e Romanis Imperatoribus, non semel, sed sæpius, Publicorum Debitorum.* *c. 30.* Reliqua omnibus Romano Imperio subiectis condonare: addita insuper ratione: ne videlicet ii, qui debebant perpetuis in angustiis versarentur, aut *Quæstorum, Reliqua exigentium, molestia essent obnoxii.* Sed perperam deinde arguit *Justinianum*, quasi is simile nihil spatio annorum duorum & triginta fecisset: ut adeo sub eo subditi, ob præteriti temporis debitorum gravem & iniquam exactionem, omnibus suis fortunis essent exuti. Sed dux *Novell. CXLVII.* *Novellæ a Justiniano constitutæ, & adhuc exstantes, De reliquis publicis* *Novell. CXLVIII.* *non exigendis, & de Indulgentia reliquorum publicorum, hanc Procopii ca-* *Spanh. l. c.* *lumniam facile refellunt, perhibente Ill. Spanhemio.* *p. 52. seq.*

VIII.

Hoc porro e Magistro nostro in Compendium tibi contraho , quæ ille , ex omni Antiquitatis & Eruditionis fonte in lucem protracta , amplissime hoc de argumento commentatur. Primum est: ut ne RELIQUA VETERA , quæ postea in numo leges ab *Hadriano* abolita , cum Vectigalium & Tributorum , quæ in futurum pendere debebant , Remissione , qualem ex dictis *Caligula* & *Galba* præstiterant , aliquando confundas. Alterum : ut multo ampliorem , multumque discrepantem *Hadriani* Liberalitatem ab aliorum ante se Augustorum Beneficentia intelligas. Quamquam enim *Sueton. in de Cæsare Augusto* tradat *Suetonius* : TABULAS VETERUM Ærarii Aug. c. 32. DEBITORUM vel præcipuam calumniandi materiam , EXUSSIT : hæc tamen Indulgentia Debitorum solius Romæ , vel forte Italiæ insuper finibus continebatur. Sic & de *Tiberio* , atque *Claudio* refert *Tacitus* , eos variis Asiæ civitatibus , gravi pressis calamitate , ad triennium , vel quinquennium , aut indeterminatum per Scriptores aliquod tempus , Debitorum veterum Condonationem , ac Tributorum Remissionem fecisse. Primus autem fuit *Hadrianus* , & ideo publica memoria in numis & lapidibus celebratus , qui omnibus Romano Imperio subjectis , novo penitus & inaudito hæctenus Liberalitatis genere , SEDECIM ANNORUM , quod ex *Dione* discimus , RELIQUA VETERA , seu Debita remisit , immo combustis in foro *Trajano* , ad exemplum *Augusti* , chartulis , vel syngraphis , ea penitus ABOLEVIT. Habuit , qui eum sequerentur : non habuit , qui præiret.

Dio L.
LXIX.
p. 791.

IX.

Illustria ejusdem , & summo quovis Principe dignissima hæc vestigia mox prefferunt , primum *Antoninus Pius* qui , prout adstruit *Scaliger* e *Chronico Casauboniano* , An. Chr. 147. similiter Debitorum tabulas exussit : deinde *M. Aurelius* , de quo idem *Scaliger* ex *Eusebianis* , *Dio* præterea , & *Orosius* testantur , eum sex & quadraginta Annorum debita excitato pariter schedularum igne abolevisse. *Aurelianus* quoque juxta *Vopiscum* , uti *Gratianus* teste *Ausonio*. Item *Theodosius junior* , cujus prior Constitutio Quadraginta , posterior cæterorum adhuc Viginti residuorum annorum Debitis universos subditos absolvit. Quantum putas , Optime *Publi* , hi , & similes horum plures alii Principes , a *Sulla* , *Cassio* & *M. Antonio* , quorum tyrannis libera adhuc Republica furebat , diversi extitere ? *Sulla* namque Græcis Asiatis , ut quinque , *Cassius* , ut decem , *M. Antonius* , ut novem annorum tributa reliqua , sive ex prætertio debita , & quidem citra moram , vel intra biennium exolverent , imperavit. Tertium porro superest , ut noscas , *Hadrianum* ea solum reliqua vetera abolevisse , quæ subditi a sedecim retro annis in pecunia ærario debuere :

non

non item, quæ in speciebus, aut in Metallis debebantur. Unde *Ausonius* ansâ præbebatur, hanc Abolitionem, quam quidem insigni errore non *Hadriano* sed *Trajano* tribuit, oblitus, illum ab hoc adoptatum se etiam *Trajanum* scripsisse, ita cavillandi. Sed partibus retentis, non habebat tantam oblectationem **CONCESSI DEBITI** portio, quanta suberat amaritudo **SERVATI**: nempe quod adhuc exolvendum restabat in speciebus, metallis, aliisque ex titulis.

Fuere Imperatores, qui Debita, quod modo dicimus, in natura præstanda, v. c. tritici, frumenti &c. in horrea publica convehendi, condonarunt, non item Debita pecuniæ ærario inferendæ. Sic *Julianus* Imp. aiebat: *Excepto auro, & Argento, cuncta reliqua indulgemus.* Fuere e contra, ut *Hadrianus*, qui Pecuniam remittentes, species, aut Metalla reservarunt: unde in numo ejus diserte pecunia exprimitur, ubi scribitur: *Reliqua vetera HL. (i. e. sestertium) novies millies abolita.* Fuere iterum, qui omnium nomina Debitorum aboleverunt, ut *Marcianus* ita constituens. *Cesset igitur pro securitate provinciarum EXACTIO RELIQUORUM: a Sextæ Indictionis initio usque ad finem Quintæ decimæ nuper elapsæ (nimirum per 150. annos) Debita deleantur: sive ex possessionibus liberari, vel patrimonialis, Templorumve, aut civilis, Fiscalisque Juris, seu IN AURO, seu IN ARGENTO, seu in SPECIEBUS, vel in METALLICA quacunque materia, aliove QUOLIBET COLLATIONIS TITULO, in publicis calculis residere noscuntur.* Non parciore quoque *Valentinianus III.* decrevit. *SUPERIORUM igitur OMNIUM TEMPORUM RELIQUA, tam arcalium, quam utriusque Ærarii usque ad incipientem primam Indictionem, jubemus AD INDULGENTIAM pertinere.* In quos proinde omnia, & omnium temporum reliqua abolentes, multo rectius, quam in *Hadrianum*, qui sedecim tantum annorum, & solum ex pecunia reliqua dimisit, convenit illud *Ausonii* de *Gratiano* suo: *Tu ARGUMENTA OMNIA FLAGITANDI publicitus ARDERE jussisti.* Quia tamen hujusmodi Debita, non uni Urbi, aut provinciæ, sed universis Romano Imperio subjectis remittendi facem omnibus Principibus prætulit *Hadrianus*: idcirco hæc ejus inaudita hæctenus Liberalitas, & Marmore meruit, & numis prædicari, cujusmodi de cæteris necdum exstant Augustis monumenta: quantumvis eorum Munificentia, non quidem tempore, sed amplitudine certe, illius Indulgentiam magnopere anteiverit.

PUB. Plenissima luce jam prævie affusum hunc præclarum *Hadriani* numum, ut recenseas tandem, jam unice superest. **TULL.** Et hunc, **XI.**

& qui sequitur, paris videlicet argumenti, jam nullo negotio intelliges, immo & ipse recensetis, si dixerō tibi, priorem æris magni, posterio- rem maximorum e genere esse, atque amborum *Adversas*, quas quidem non vulgavit Ill. *Spanhemius*, vultum, ac titulos *Hadriani* referre.

Tab. V. *PUB.* Video itaque in primo ad lævam quidem lictorem, ut arbitror, Num. V. stantem, qui læva fasces gerit, dextra facem tenet, qua deorsum versa chartas debitorum nonnullas accendit, atque comburit. A dextris tres adsunt viri togati, quorum prior laureatus ipse est Imp. *Hadrianus*, dextra extenta lictori combustionem demandans, cæteri cum admiratione rem jucundissimam intuentur. *TULL.* Apprime omnia ad mentem Ill. *Spanhemii* contra aliorum Virorum Doctorem opinionem, qui in lictoris imagine *Hadrianum*, uti in fascibus genus aliquod sceptri imperialis videre sibi visi sunt. *PUB.* Circum ita lego: RELIQUA VETTERA HS. Sestertium NOVIES MILLIES, ABOLITA. Infra: S. C. *TULL.* De hac summa debitorum remissa quid sentis? *PUB.* Ingens utique erat: neque enim oblitus sum, quod me in *Exercit. Proem. Dial. VIII. n. 7.* docueras, nimirum cum sestertius scribitur, unicam mone- tam argenteam, cum vero sestertium legimus, mille notari, & si adda- tur decies, vicies &c. totidem centena millia. *TULL.* Probe recorda- ris. Sestertium ergo Novies millies conficiunt novies millies centena millia, sive calculo CII. virorum *Salmasii*, ac *Gronovii*, Coronatorum duos ac viginti Milliones, & semis, seu dimidium.

XII.

PUB. O itaque flammam illustres ab *Hadriano* excitatas! Non reor, ullos ignes festivos, qui hodie tantis sumptibus frequenter à Principibus accenduntur, tantam intuentibus voluptatem unquam posse creare. *TULL.* Dudum ante nos de his ignibus, non quidem ab *Hadriano*, sed ejus imitatione, quantumvis longe post eum, a *Gratiano*, excitatis, ita *Ausonius* prædicabat. *Videre in suis quæque Foris omnes Civitates con- flagrationem SALUBRIS INCENDII.* Ardebant stirpes fraudum veterum; ardebant seminaria futurarum. Nempe, quod his e verbis liquere potest, non Romæ tantum, sed & in aliis Urbibus hæc schedularum exustio facta est, eodem tamen Imperatoris edicto. Cæterum si tam immensam quodammodo perpendis *Hadriani* in Debitores *Ærarii* sui Indulgentiam; præterea *Congiarum* Populo, *Donativa* Militibus præbita, de quibus ante: insuper, dum universas prope circumiret Provincias, impensa in sin- gulas earum peculiaria Beneficia, plurimis numis prædicata: an mirum tibi videatur, si sequenti in numo locupletasse orbem Terrarum dicatur?

PUB. Obstupui dudum ad brevissimam quidem, sed omnia laudum capi- ta,

ta, quæ in Principem adeo Liberalem conferri poterant, sinu suo complectentem Panegyrim, vere Laconicam. Sedet namque in hoc numo Tab. V.
Hadrianus in suggestu laureatus, cum sceptro Ducali, dextram extendens: Num. VI.
ante ipsum Liberalitas dea Cornucopiæ effundens, cujus munera infra
stantes geminæ figuræ expansis quasi vestibis excipiunt, manibusque
protenfis. *Epigraphe*: LOCUPLETATORI ORBIS TERRARUM. Nescio
sane, an ullus Principum, quos hæctenus expendimus, Titulus hoc præ-
sente gloriosior existat. *TULL. DEUM O. M.* quodammodo providisse
reor, ut vel in Paganorum Principum numis descriptæ tot illustres vir-
tutes per tot secula fervarentur: ne videlicet aut deesset Principibus
Christianis, quod salubriter æmularentur, vel quod secus factitantes
perpetua disciplina argueret. Interea vero omnem hanc Liberalitatem
suam, ac cæteras saluberrimi Principis dotes, teste *Spartiano*, ingenita
crudelitate, usque ad finem repressa, corrumpit *Hadrianus*: postremis
namque temporibus suis ita metuit imperio suo, ut quemcunque spe ad
illud grassari suspicaretur, e medio tolleret, pari ruina, qui tali cui-
piam quomodocunque favere viderentur, involvens. Unde legere apud
Spartianum licet: *Invisusque omnibus sepultus est in villa Ciceroniana Puteolis. Spartian.*
Et infra: *In mortuum eum a multis multa sunt dicta. Acta ejus irrata fieri in Hadr.*
senatus volebat: nec appellatus esset Divus, nisi Antoninus rogasset. PUB.
Exigua hæc in *Locupletatorem orbis Terrarum* Gratitude. Sed maxime
varia sunt hominum ingenia, neque concordia sese inter, neque sibi con-
stantia. Virtus quoque vel ideo in arduo posita, quod tam mul-
tiplicibus officiis sit, & judiciis infinitis censeatur.



DIALOGUS XVI.

De

Beneficio Remissorum ONERUM PUBLICORUM.

TULLIUS.

- I. **U**Ti subditos moderata decent Vestigalia, & Tributa, quibus Ærarium Principis constare oportet, ut expensis publicis sufficiat: ita nec operam suam negare illi possunt ad labores publicos, ut hoc ipso quoque medio Princeps, dum negotiis publicis actu instat, sumptibus relevetur. Hujusmodi porro servitia, quibus subditi tenentur, *onera publica* appellantur, tamque graviter sæpe, ac ipsa Tributa, feruntur. Unde Principi, his etiam oneribus modum adhibenti, pulchra *Beneficentiæ* materies exhibetur. Geminos hodie numeros, non plures, qui *Nervam* Imperatorem in hac parte eximie commendant, expendemus, eosque rursus a me ex immortali Ill. *Spanhemii* opere in profectum tuum advocatos. Horum priorem antequam aggrediaris, prævie mihi de *Onere VEHICULATIONIS* instruendus es: quam vocem Vir illustris in solo hoc numo, ac deinde in antiquo unico marmore, quod *Lipsius* ad Panegyricum *Plinii* adducit, reperiri advertit. Idem hæc vox designat, quod alias Quirites veteres vulgo *Rem Vehicularem*, *Vehicularium munus*, *Vehicula publica*, *Cursum Vehicularem*, sæpissime vero *Cursum publicum* dixerunt. Duo complectebatur officiorum, vel potius servitiorum genera: unum *Vehicularum*, quæ a provincialibus ubique cum congruis jumentis parata haberi debebant, sive, ut illi, qui Principis, aut Reipublicæ jussu proficiscebantur, promptum haberent itineris usum, sive ut Tributa, vel in pecunia, vel in speciebus præbita, commodum, celeriusque advehi possent. Alterum *Veredariorum*, seu Equorum, mulorumque parata copia: quorum ope, & mutatione nuntii ultro citroque missi, itineris atque dierum compendia facerent.

II.

Spanhem.
Tom. II.
p. 562. seq.
Strabo
L.V. p. 251

Antiquissimam oneris hujus originem apud Quirites Ill. *Spanhemius* ex *Strabone* repetit a pœna, qua Romani Picentinos, Lucanos, atque Bruttios, ob defectionem ad Hannibalem, mulctarunt, ne videlicet militarent deinceps: sed Magistratibus in provincias euntibus parere, &

PRAE.

PRAEMINISTRARE servorum vicem jufferunt. Currere ergo cum iis, atque præcurrere debebant. Alias vero Magistratus, ad Exercitus & Provincias profecturi, publico ex ærario mulis, tabernaculis, aliisque itinerum adminiculis instruebantur, Cicerone, Livio, Suetonio, ac Dione testantibus. Soli legati, repente aliquo missi, jumenta per singula oppida exigebant. Primus porro L. Posthumius Consul An. Urb. DLXXIX. in Campaniam iturus, ac Prænestinis infensus, cum publicum sibi hospitium, tum jumenta parata imperavit: quo pacto, ut subdit Livius hoc ^{Liv.} recensens, Jus, velut prolato exemplo, Magistratibus fecit graviorum indies ^{L. XLII.} talis generis imperiorum: quæ majore semper licentia illi exercuerunt. ^{c. 1.} De Augusto deinde Suetonius perhibet: Et quo celerius, ac sub manum, ar- ^{Sueton. in} nunciari, cognoscique posset, quid in provincia quaque ageretur, JUVENES ^{Aug. c. 49.} primo modicis intervallis per militares vias, dehinc VEHICULA disposuit. Commodius id visum est, ut qui a loco eidem perferrent literas, interrogari quoque, si quid res exigenter, possent. Nempe Juvenes intermedii unus ab altero recepit literas: Vehiculis autem unus idemque nuntius, qui destinatus erat, vel ad locum, vel ex loco venit, poteratque esse de visu etiam testis.

Sub iis, qui sequebantur, Principibus eadem Vehiculatio perduravit: III. aliter tamen aliterque iterum ac iterum imperata fuit. Modo enim a privatis ad fiscum translata: modo ejusdem onere certæ tantum provinciæ levatæ: modo indictis legibus cautum de numero, provisu, cura, alimentis animalium id genus publicorum: modo restricta, vel ampliata iisdem utendi facultas. Commodissime fere de his nos erudiit Procopius: e quo discimus, Cursum ab Imperatoribus institutum, sive, ut hostium, ^{Procop. Ar-} aliorumque seditiones nunciarentur, sive ut annua vectigalia apportaren- ^{can. Histor.} tur. Quocirca via unius diei, octo, vel quinque ad minimum stabula, ^{c. 30.} inque singulis eorum equi quadraginta dispositi esse debebant: ut adeo cursu unius diei decem dierum compendium facere possent Cursores, sive Veredarii: qui priores, non ut hodie, a currendo pedibus, sed a velocitate itineris appellati sunt. Non parva quidem abinde commoda in privatos nonnullos derivata sunt, ob promercales fructus, quos alendorum cum stabulariorum, tum equorum, sive mulorum, & qui ad Vehicula deinceps quoque adhiberi solebant, boum atque Camelorum causa, quæstoribus vendiderant. Contra vero Magistratus Urbicos, quibus hujus utriusque, tam quæ Curribus, quam quæ Veredariis, seu Cursorum equis fiebat, Vehiculationis cura indubie incubuit, ea res maximis certe incommodis affecit. Conquirenda enim erant jumenta, extruenda stabula,

la, procuranda pascua, Vehicula non unius generis comparanda, providendum mulionibus, carpentariis, veredariis &c. Postulata sæpe super numerum indictum Vehicula, vel equi: utraque ultra modum onerata, male habita jumenta, perque viam non regiam, sed transversam improbamque traducta, fraudulentæ sæpe evectiones, & quæ ad publicam rem non attinebant, tentatæ, & his similia: de quibus uberius Libanius differuit. Verbo onus multifariam grave hujusmodi *Vehiculatio* fuit.

Liban. O-
rat. in Juli-
an. necem

p. 295.

IV.

PUB. Satis mihi jam patet, *Nervam* ejusdem Remissione oppido in Italiam beneficium fuisse, atque omnino promeritum, ut tantæ Indulgentiæ suæ perenne monumentum currenti in ære sibi statueretur. *TULL.* Pingitur illud ab Ill. *Spanhemio* modulo æris magni sine *Adversa*, quam *Nervæ* capite ac nomine illustrem facile noveris. In *Aversa* stant geminæ mulæ, liberæ, ac pascentibus similes, oneribus, quibus exsolutæ sunt, retro post eas conspicuis. *Epigraphe*: VEHICULATIONE ITALIAE REMISSA. Infra S. C. De modo hujus Remissionis conjiciens Ill. *Spanhemius*, primum demonstrat, ampleque ostendit, *Italiae* præ omnibus aliis Orbis Romani provinciis illustriorem fuisse, melioremque semper conditionem. Deinde existimat, credi posse, *Vehiculationem Italiae Remissam* prædicari in hoc numo. Vel imo. quod *Nerva* eam omni hoc onere absolverit: uti innuere videntur mulæ in numo, omni onere liberæ. Vel 2do. quod ejusdem procuratio magistratibus Urbicis Italiae fuerit remissa, & ad Fiscum translata: quia hoc factum esse, omnium primo in *Hadriani* vita atque historia a scriptoribus proditur. Vel 3tio. quod Italos impensis alleviaverit, quas magnas sane, ac multiplices eam in re præbere debuerant: uti ipsa *Epigraphe* numi indicare videtur. Demonstrat vero ulterius, insequentibus quamplurimos Principes non minus permagni hujus oneris incommodis, & iniquis eapropter exactio-nibus moderandis, opem suam, gratiamque adjecisse, idque adductis saluberrimis eorundem Constitutionibus ubertim confirmat. Sed in iis nobis immorari jam minime vacat.

Tab. V.
N. VII.

V.

PUB. Nempe, ut auguror, sequens pariter numus, omni typo suo mihi peregrinus, tribus, ut ajunt, verbis a te enarrari haud poterit. *TULL.* Enarrabitur facile, si pauca te juvent. *Nervæ* est denuo vultu ac nomine clarus, modulique magni apud Ill. *Spanhemium*. In *Aversa* Palmam vides elegantem, notum Judææ in numis symbolum, cum geminis Caryotis inde pendentibus, sive dactylis præstantissimi generis. Penes literæ S. C. quæ senatus consulto hunc numum, adeoque

Spanh. un-
de supra
p. 571. seq.
Tab. V.
N. VIII.

a Ro-

a Romanis eufum, liquido probant: ut adeo multum a vero aberraverit Cimelii S. Genouefæ Enarrator, arbitratus, a Judæis eundem in gratiam Nervæ Imperatoris, fuiuque Benefactoris eximii fignatum fuiffe. Epigraphe eft: FISCUS JUDAICI CALUMNIA SUBLATA. Novum eft hoc Beneficentiæ genus, cui locum Domitiani crudelitas fecit. Poftquam nimirum Judæi fub Pompeio in Romanorum devenere poteflatem, fupendarii facti, tributa multa pendere debebant: relicta tamen iis, qui per Romanas provincias difperfi erant, fuit facultas, quotannis Didrachmam fuam Jerofolymam in Gazophylacium mittendi. Vetabant vero id, libera adhuc Republica, plures Provinciarum Rectores: fed Jul. Cæfar id in omnibus provinciis, non uno, verum pluribus edictis, teftè Flavio Jofepho, denuo indulfit.

Flav. Jo-
feph. Anti-
qu. L. XIV
c. 17.

Captis autem Jerofolymis, & everfo Templo, Titus Imp. ftatuit, VI. ut Judæi omnes, qui Romanum per Imperium maximo numero difperfi fe Judæos aperte profiterentur, patriisque vivere ritibus vellent, Didrachma, quod prius quotannis Jerofolymam mifere, Jovi deinceps Capitolino perfolverent, ut Dio Coccejus refert. Quæ ratio fuit Fisci Judaici inftituti. Domitianus deinde, fratri Tito per ficarios fublato fuccedens, cum primum continentior, necdum in fævitiâ & rapacitatè defleceret, Fificales calumnias magna calumniantium pœna repreffit. Sed neque in Clementiâ, neque in Abftinentiâ tenore permanens, quod Suetonius ait, juffit, ut præter cæteros JUDAICUS FISCUS acerbiffime actus fit: ad quem deferebantur, qui vel, ut profefsi, Judaicam intra Urbem viverent vitam, vel difsimulata origine, impofita genti tributa non pependiffent. Pro voculis: velut profefsi: legere maluit Ill. Spanhemius, fcribitque: improfefsi: eo quod effent nonnulli, qui Judæos fe non profiterentur, ritu tamen Judaico viverent. Atqui pace tam Illuftriffimi viri idem, puto, intelligemus, tameti legerimus: qui vel, ut profefsi, i. e. more eorum, qui profefsi funt fe Judæos effe, Judaicam in urbe agerent vitam. Quidquid vero de hac lectione fit, Domitianus, more Caligulæ profufiffima prodigalitate antea delirus, deinde exhaustus operum ac munerum impenfis - - uti nihil penfi habuit (verba funt Suetonii) quin prædaretur omni modo bona vivorum & mortuorum ufquequaque, quolibet accusatore, & crimine corripiebantur: ita & omnes, quicumque demum, vel in difsimulatæ judaicæ originis fuæ, vel in minimi ritus Judaici obfervati fufpicionem, jure, vel injuria delati, apud eundem venere, acerbiffime ad Fifcum traxit, pluribus penitus infontibus ingentem Calumniam perpeffis. Interfuiffe me adolefcentulum memini, perguit idem Scriptor, cum a Procuratore, frequentiffimoque Concilio infpiceretur nonagenarius fenex, an circumcifus effet.

Dio Cocce.
L. LXXVI.
p. 748.

Sueton. in
Domit.
c. 12.

VII.

Experti tum certe sunt, non tam Judæi professi, qui videlicet ut tales se publice fatebantur, sed multo magis ii, qui, quod re vera erant, tacuerunt, aut, quod re vera non erat, esse tamen ob quamcunque miniam suspicionem visi sunt, *Fiscales* potissimum *Actiones Calumniosas* dici: eo, quod eisdem præfecti, *Fisci*, ac Commodorum Principis obtentu, privatorum, seu provincialium fortunas omnes everterent. Unde recte Clar. Juris Interpres *Jac. Gothofredus* ad legem *Honorii* contra Calumniatores latam notavit: *CALUMNIATORES* sunt, qui sub nomine *FISCI* facultates impetunt alienas, & innocentes quietos esse non permittunt. Non sine causa itaque *Theodoricus Gothorum Rex*, apud *Cassiodorum*, quemdam *Fisci* sui Advocatum ita commonuit: *Sume igitur FISCI nostri tuendi negotia - - - ita per medium Justitiæ tramitem incede, ut nec CALUMNIA innocentes graves, nec justis petitionibus retentatores exoneret.*

Gothofr. ad Leg. III. Cod. Theod. de Calumniac. Cassiodor, Var. Le. Etion. L. c. 22.

VIII.

Quare hujus numi Epigraphen: *FISCI JUDAICI CALUMNIA SUB-LATA*: ita accipias, velim, ut persuadas tibi, *Nervam* Imperatorem nequaquam Judæos veros, quique se tales professi sunt, levasse tributo solvendæ quotannis *Jovi Capitolino* didrachmæ, quod eis *Titus* imposuerat: sed serio duntaxat inhibuisse, ne, qui Judaicam superstitionem non professi, levissimis tamen ex suspicionibus Judæi habiti & judicati sunt, ad idem tributum cogentur, donec gravibus convinci rationibus potuissent. Unde non *FISCUM JUDAICUM*, sed ejus duntaxat *CALUMNIAM* sustulit. Quod interim *Nervæ* edictum per Scriptores jam rursus nesciremus, ex solo hoc numo discimus. Nequaquam autem post *Nervam* immunes fuisse Judæi: sed ob crebras eorum defectiones, dirutis per *Hadrianum* *Jerosolymæ* muris, in singula deinceps capita tributum, aliasque insuper collationes, *Appiano* teste, pendere coacti sunt. Quæ onera cum inde ad usque impium *Julianum* Apostatam durarent, ipse tandem, in Christianæ Religionis odium, *Judæam* & *Hierosolymas*, ac templum instaurari cupiens, se fatente, *immensum aurum*, quod, a Judæis coactum, in *FISCI* rationes inferebatur, eis remisit, *Brevibus*, seu *Chartis*, quibus illud descriptum erat, a se accensis, adhortatione præcipue *Juli*, tum patriarchæ *Judæorum*, ad hoc inductus, quem *Fratri*, & maxime reverendi *Patriarchæ* nomine dignatus est. Hæc autem singula rursus *III. Spanhemio* in acceptis refer.


Appian. Bell. Syriac. p. 119.

Julian. Ep. XXV. ad Commune Judæor. p. 396.

IX.

PUB. Immensum sane omnibus, & hujus, & proxime anteriorum Dialogorum, eruditissimis ac utilissimis doctrinis recreor, tanto magis, quod nullo fere Numorum inibi expositorum felix, tua solummodo *Beneficen-*

ficentia, eorum & ectypa depicta, & quæ recondunt, mysteria perspexerim. Quam belle, quam ubertim hæc erudiunt: quam oppido & Augustorum Gloriam, & Reipublicæ Romanæ Arcana, Numorumque tandem Utilitatem multo maximam demonstrant. TULL. Id vero ut faciant, tuque hæc nosceres, imo & ego tecum, quod dixi, viro Illustrissimo, Magistro nostro, debes unice. Cum ipsum aliquando accedere, ipsum evolvere poteris, tum primum incomparabilem ejus, sive industriam in conquirenda, sive dexteritatem in applicanda, ad Numos luce clarissima perfundendos, omni Antiquitate, summo cum stupore admiraberis.



DIALOGUS XVII.

De

Munificentia LVDORVM, & præcipue de VENATIONE, ac LVDIS SECVLARIBVS.

PUBLIUS.

Quæ nova se pandit in residuis Tabulæ tuæ Væ. Numis Ludorum scena, perjucundi aliquid ipso mihi nomine spondet. TULL. Pertexenda nobis est tela, quam hæctenus de Augustorum in Rempublicam Beneficentia jam dudum versamus. De Spectaculis quippe ac ludis, duorum duntaxat numerum lustratione, hodie initium facturi, ignorare ante omnia non debemus, hujusmodi a Tullio, propterea, quod in gratiam plebis sumtuosissimo apparatu a Principibus fierent, ac fere semper Missilium, ac Congiariorum Liberalitate stiparentur, MVNERVM LARGITIONEM, a Capitulino vero INDVLGENTIAM appellitari. Alio nomine usus Suetonius, ita de Tito scribebat: Et tamen nemine ante se MVNIFICENTIA minor, Amphitheatro dedicato, Thermisque juxta celeriter exstructis, MVNVS edidit apparatusissimum, largissimumque. Dedit & navale prælium in veteri Naumachia: ibidem & gladiatorum: atque uno die quinque millia omne genus ferarum. Vides ergo, ludos, atque spectacula, recte a me inter Beneficia, partesque Liberalitatis Augustæ adnumerari: quoniam & cum Muneribus conjuncta fuerant, & Lar-

Cicer. Officior. L. II. c. 18.

Capitol. in Anton. Pio.

c. 10.

Sueton. in Tito. c. 7.

gitionis, Indulgentiæ, Munificentiæ, nominibus apud veteres descripta sunt: quorum postremum deinceps in numis etiam leges.

II.

Roma porro inter *Ludos* adolevit, Maxime varios eos, atque ab Antiquissimis temporibus per Prætores Urbanos, atque Ædiles curules, quotannis, & quam sæpissime editos: quorum alii *Votivi*, *Stati* alii, alii *Extra ordinem* erant. *Votivos* dixere, qui in Deorum Dearumque honorem, prævio auspicio, atque concepto deinde voto, & edito Senatus Consulto, victoriæ adipiscendæ, vel alterius Beneficii obtinendi, sive averruncandæ i. e. avertendæ præsentis cuiuspiam calamitatis causa subinde edebantur. *Statos* appellabant, qui quotannis, ac perpetuo, certisque semper diebus, atque conceptis ritibus facti sunt, præconis vocẽ prævie indicti, omni populo stipem conferente, & ad eos agendos concurrente, ut Dii vel propitii manerent, vel irati placarentur. Atque horum statorum Ludorum causa, e superstitione Sacerdotum, maxime ob veteris cujusdam *Marcii* carmen, pervagata est in omnem Populum sacrosancta opinio, in iis rite celebrandis Urbis Populique Romani & salutem, & victoriam de hostibus verti. Unde & *Livius* ait: *LVDORVM* *primum initium procurandis Religionibus datum.* Religiosissime vero *Cicero* dixit: *Nunc sum designatus AEDILIS: habeo rationem, quid a populo Romano acceperim: mihi LVDOS SANCTISSIMOS* maxima cum Cerimonia *Cereri, Libero, Liberæque* faciundos: *mihi Floram Matrem* populo *Plebique Romanæ Ludorum Celebritate* placandam: *mihi Ludos Antiquissimos, qui Primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac Religione, Jovi Junoni, Mervæque esse* faciundos. Quantam non hæc verba Religionem afflant? Verumtamen brevi in hanc qualemcunque Religiositatem vanitas, & vitium irrepsit. Eorum quippe, qui *Ludos* ediderunt, ambitione, summaque opum prodigalitate, populi vero spectantis incredibili novorum cupidine, brevi effectum est, ut summi viri ad pauperiem redigerentur: neque tandem reperiret Respublica, qui *Ædilitatem Curulem*, ad quam *Ludi* pertinere, quærere auderent. Unde Imperatorum nonnulli plures *Ludos* inhibere, in aliis immodicos vetare sumtus, ad quosdam autem iis, qui eos facturi erant, ipsi impensas præbere cogebantur.

*Liv.**L. XXV.**c. 12.**Cicero. Ver-**rimar. V.**c. 14.*

III.

PUB. Memini, de hoc in *Exercit. Proem. Dial XII. n. 8.* te mihi jam nonnulla, peculiariter vero de *Ludis Apollinaribus* dixisse. *TULL.* Gaudeo, te eorum opportune reminisci. Nobis etenim deinceps spectandi potissimum erunt in numis *Ludi extra ordinem* facti, cum Augustis variis commoda nasceretur occasio, vel ultro demum collibuit, præ-

ter

ter solitum *Munificos* esse. Nolui tamen Denarium tuum præterire, quin eum primo loco depingerem, qui *Venationem*, certum quoque Ludorum genus, Apollinaribus Ludis, post circenses, atque scenicos, conjungi solitum, tibi ob aculos sistit. Præibant nimirum, ac veluti prima Ludorum Apollinarium scena erant Equestres, seu curules Ludi, bigis, trigis, quadrigis, vel celetibus, seu equis celeribus facti in circo inde dicti *Circenses*. Sequebantur Ludi *Scenici* in Theatro. Ultimo exhibebatur *Venatio*, æque in circo instituta, sed ita adornato, per arbores, ubertim e sylvis unacum radicibus effossas, & iterum in circo defossas, ut sylvæ speciem præberet: donec postea pro *Venatione* Theatra, & Amphitheatra aptata sint.

Probe tamen ut notes velim, duplex *Venationis* genus adhibi-
 tum: ludicrum unum, alterum cruentum. In primo circo, uti dictum, in sylvæ morem, totus virecebat: ubi, veluti in saltu, ingens ferarum sylvestrium innoxiarum copia dimissa, puta cervorum, damarum, leporum, cuniculorum: & data insuper populo facultas, velut in sylvâ venandi, quantumque quis deprehendere posset, secum asportandi. Quibus porro venandi, aut locus præ turba, aut animus non erat, in eos *Mssilia*, seu schedulæ, aut laminæ tesserariæ spargebantur, inscriptis ferarum nominibus. Qui ergo v. c. schedam cum voce *lepus* occupasset, finita *Venatione* ad Editorem Ludi accedens, tantum pecuniæ, quantum lepus Romæ valuit, reportavit. Utilis hæc & jucunda simul, præterea vero, quod facile colliges, ingentis pretii *Liberalitas*. De circo sic in sylvam migrante cecinit *Ovidius*.

IV.
Boysè
Acerr.
Nov.
Philolog.
P.l. p. 701
seq.
Ovid Me-
tam. L. XI
 25.

-- -- -- -- -- Agmenque ferarum
 Mænades Orphei titulum rapuere THEATRI.

Non paulo autem prodigialius erat alterum *Venationis* genus, dum Ludorum celebritas ac omnium gentium bestiis, per mare, per terras conquisitis, accersebatur: unde tamen utilitatis nihil in spectantes derivatum est. Quanta hic perfusio, quam ambitiosa sollicitudo fuerit, vel adhuc *Theodosii M.* ætate: disce ex *Symmach*o ita amicis, dum filius suus Præturæ Urbanae honorem initurus esset, perscribente. *LVDOS PRAETORIOS præparamus, quorum Ornatus ANIMALIA PEREGRINA desiderat: ut novo cultu Romana splendescat Editio. Et iterum: PRAE- TVRA Donum novum, Deo juvante, expectat: in qua me Crocodilos, &*

Symmach.
L. XI.
Ep. 119
Id. ibid.
Ep. 126.

Claudian. pleræque peregrina civibus exhibere, & aliorum hortantur exempla, & propria compellit animositas. Ut adeo *Claudianus*, quantumvis alias Poetæ
Mall. summa sint licentia, nimius tamen fuisse haud videatur, optans *Mallio*
Theod. *Theodoro* Consulatum ineunti:
v. 306.

Quidquid monstriferis nutrit Getulia campis.
 Alpina quidquid tegitur nive: Gallica quidquid
 Sylva timet, jaceat: largo ditescat arena
 Sanguine: CONSUMANT TOFOS SPECTACV-
 LA MONTES.

V. **PVB.** Quid porro actum his bestiis undique advocatis? *TULL.*
Patin.Fam. Primum quidem, sese inter ut pugnarent, institutum. Unde ex
p. 102. fiat in gente *Dyrnia* apud *Cl. Patinum* denarius *M. Durmii* Triumviri,
 hinc cum Capite *Augusti*, inde cum Leone cervum suffocante, hujusmo-
 di cruentæ venationis, ab *Augusto* secularibus in ludis exhibitæ, spe-
 cimen. Mox vero ad homines ventum, qui cum bestiis congregerentur,
 inde *Bestiarii* dicti. Et erant quidem, qui mercede maxima conduci se
 finerent, huicque tam ancipiti pugnx multa se industria ante aptarent:
Jctus. ff. de quibus *Juris Consultus*. Quid enim turpius esse potest iis, qui se, ob
tit. v. §. 6. alienæ ut *Firmicus* ait, gratiæ voluntatem nundinatos, sanguinis jactura *AD*
MORTIS SPECTACVLVM VENDVNT? Fuere præterea alii, ambi-
 tione immodica fascinati, qui virium duntaxat suarum experiendarum
 causa, captandæque laudis ergo, ultro se obtulerunt, nullo alio præ-
 mio, nisi quod *Audacium* nomine insignirentur. Quo rursum *Claudianus*
Claud. un- alludit, canens:
de supra
v. 292.

AMPHITHEATRALI faveat Latonia POMPAE.
 AVDACES legat ipsa viros, qui colla ferarum]
 Arte ligent, certoque premant venabula nifu.

Plerumque vero, qui capitis rei erant, ad bestias damnati, servatique,
Plin.Paneg. crudelem hanc voluptatem oculis intuentium præbere coacti sunt. Tuetur
c. 33. quidem id *Plinius*, dum inquit: *Visum est spectaculum inde non enerve &*
fluxum - - sed quod ad pulchra vulnera, contemptumque mortis accenderet:
 cum in fervorum etiam, *NOXIORVM*que Corporibus amor laudis, & cupi-
 do victoriæ cerneretur. Contra vero *Cicero* sensit, & scripsit alicubi: *Re-*
Cicer. Fa- liquæ sunt *VENATIONES* binæ, magnificæ, nemo negat. Sed quæ potest
mil. L. esse
VII.Ep.1.

esse hominì politico delectatio, cum aut homo imbecillis a valentissima bestia laniatur, aut præclara bestia venabulo transverberatur?

Posteaquam deinde cæpta sub Nerone Fidelium persecutio, iterum iterumque furere consuevit, nihil frequentius illo frementis populi complausu: *Christiani ad leones: Christiani ad bestias.* Hos, armis omnibus non solum vacuos, quæ tamen fontibus aliis dabantur, sed ad palum insuper alligatos, non quomodo pugnarent, sed quomodo bestiarum lacerarentur dentibus, populus ut ludum jucundissimum spectabat. Sic *Sancti DEI Homines* vere *SPECTACVLVM* facti sunt *DEO, Angelis, & hominibus*, quod ait *Apostolus*:

VI.

Seu fortis præbenda cervix ad bipennem publicam,
Verberum post vim crepantum, post catastas:
Sive PARDIS OFFERENDVM PECTVS, AT-
QVE LEONIBVS:

Uti *Aurelius Prudentius* Christianus Poeta cecinerat. PUB. O Ludum, *Prudent.*
uti per bestias actum, ita bestiis magis quam hominibus dignum! Sed *Peviste-*
cæci erant. Tu si lubet, jam numum mihi percense, qui e Confula-
rium numero est. *TULL.* Pertinet ille ad Familiam *Livineiam* estque
Luc. Livineii, Reguli filii: qui sub *Augusto* Triumvir cudendæ Monetæ
existit: senatu autem motus est. Quod parte anteriore adstat, Caput, nullo
penitus ornatu, nullo nomine, vel titulo, *Cl. Patinus* apud *Ursinum* citra du-
bium exhibere asserit *Lucium Livineium Regulum* patrem, qui *Ædilis curulis,*
Prætor, ac Præfectus Urbis fuerat. *Aversam* hic pictam ipse enarra.

*phan. L. I.
v. 55.
Tab. V.
Nu. IX.*

*Patin. Fa-
mil. p. 156.*

PUB. *Venationem*, puto, eamque cruentam exhibet, non ludicram. Geminos namque *Bestiarios* video, sive mercede illi conducti fuerint, sive *Audacium* e numero solius gloriæ ergo hanc arenam ingressi, sive *ad bestias damnati* existant. Quorum anterior galeatus, leoni in se irruenti telum opponit: alter etiam Parma provisus adversus tigridem pugnat. Pone bestia alia, quasi iam lethaliter faucia, residet, vel omnino mortua procumbit. Infra scribitur: *Lucius. REGVLVS*: ubi *Livineius* subaudiendum reor. *TULL.* Sic habent omnia. Dedit porro hanc *Venationem* cum feris, uti & aliam cum mansuetis animalibus, *Livineius Regulus* pater, quia Prætor erat, sesquiseculo ante *Jul. Cesarem* ipsis in *Ludis Apollinaribus*: uti *Ill. Spanhemius* ex hoc, quem pariter pingit,

VII.

Spanhem. Tom. II. p. 137. & altero numo, in cujus Aversa solus Taurus sine pugile visitur, demonstrat contra eos, qui existimabant, *Jul. Cæsarem* omnium primum Taurorum Venationem, *Taurilia* dictam dedisse. Id quod verum est, si modus spectetur Theffalicæ: cum tauris pugnæ, quem primum *Julius* adhibuit. Alias vero jam *Livius* scripserat, agens de Votivis Ludis, a Marco Fulvio ob bellum ætolicum feliciter confectum in Urbe editis. *Per eos dies, quibus hæc ex Hispania nuntiata sunt, Ludi TAVRILIA per biduum facti Religionis causa. Per dies decem apparatus deinde Ludos M. FVLVIVS, quos voverat ætolicò bello, fecit. Multi artifices ex Græcia venerant, honoris ejus causa, Athletarum quoque Certamen tum primo Romanis spectaculo fuit: & VENATIO DATA LEONVM ET PANTHERARVM, & prope hujus Seculi copia ac varietate (i. e. omnibus fere, ac omnis generis, quæ tunc existierant, bestiis) celebratum est.*

VIII. PUB. Alter apud me Denarius & Familiarum, & Augustorum numis inferi potest: cujus *Adversa* Capite *Augusti* laureato radiat, cum titulis: AVGVSTVS TR.ibun. POT.estate. VII.timum. In *Aversa* stat Columna, vel certe Basis Columnæ quadrata, cui inscriptum: IMP. CAES. AVG. LVD. SAEC. Pone: XV. S. F. Quæ legenda, nisi fallor: IMP.eratore. CAES.are. AVG.usto. LVD.i SAEC.ulares. XV. Quindecimviro. S.aerorum. F.aciundorum. Circum scribitur: L.ucius MESCINIUS. RVFVS. IIIVIR: i. e. Triumvir, nempe Monetales. TULL. Nequaquam Apollo tibi lævus insonuit: sic legi omnia convenit. PUB. Quomodo vero rite accipiam singula? multæ hic puto, eruditæque commentationi est locus. TULL. Primum est, quod te commoneam, tuum hunc numum ceu Denarium pariter in collectione *Ursini* per Cl. *Patinum* recognita, apparere: similiter autem ex auro depictum exstare per *Æneam Vicum* in collectione *Com. Zantani*. Hic porro in indice suo lit. L. voce *L. Mescinius* putabat, sed plane perperam, duos hic Magistratus describi, videlicet *L. Mescinium Quindecimvirum sacris faciundis*, & *Rufum Triumvirum Monetalem*. Constat vero ex Cl. *Ursino*, unum eundemque esse, qui *L. Mescinii Rufi* nomina simul tulerit, quemque *Cicero*, Proconsulis in Cilicia magistratum gerens, Quæstorem sibi fuisse asserit: & ad quem scripsit Epistolam XX. & XXI. Libri V. Familiarium, quarum prior *L. Mescinii*, posterior *Rufi* nomen in fronte portat. Factus est hic *Mescinius* e gente plebea sub Augusto Triumvir Monetalis: unde, sicut alia, ita & Ludos seculares sub eo factos, numis consignavit.

Patin. Fa- mil. p. 174. Zant. XII. Cess. Aug. Aur. 4.

Quindecimviri autem Sacrorum faciendorum elogium hic signatum IX.
Ursinus, cui nec *Patinus* dissentit, non ad *Mescinium*, sed ad ipsum
Augustum pertinere existimat: ut adeo recte omnino supra legeris. Præ-
 terquam enim, quod etiam *Vulsius Imp.* in numis suis nonnullis XV.
 VIR. S. F. scribatur: *Secularium* insuper Ludorum cura ad Collegium
 Sacerdotale Quindecimvirorum maxime pertinuit. Testis primus est *Ho-*
ratius, qui sic dicto a se *Carmine Seculari* hos Ludos expresse cantans, *Horat.*
 alicubi ita habet: *Carm. Se-*
cul.

Quæque Aventinum tenet, Algidumque,
 QVINDECIM Diana preces VIRORVM
 Curet &c.

Luculentius vero id *Tacitus* confirmat, de *Secularibus* *Claudii* inquiring. *Tacit. An-*
nisdem *Consulibus* *LVDI SECVLARES*, *Octingentesimo* post *Romam* condi- *nal. L. XI.*
tam, *Quarto* & *Sexagesimo* (quam i. e. a. quo) *Augustus* condiderat *spectati* *n. 4.*
sunt. *Utriusque* principis rationes prætermitto, satis narratas *Libris*, quibus
res Imp. Domitiani composui: nam is quoque edidit *LVDOS SAECVLARES*,
 iisque intentius affui, sacerdotio *QVINDECIMVIRALI* præditus, ac tum
Prætor. Quod non iactantia refero: sed quia *COLLEGIO QVINDECIM-*
VIRORVM ANTIQVITVS EA CVRA, & *Magistratus* potissimum exe-
 quebantur officia *cærimoniarum*. Nihilo fecius vero ex his non statim invi-
 ète asseritur, *Augustum* in hoc numo *Quindecimvirum* appellari: cum *Zo-* *Zosim. L. II*
simo teste, e quo fere potissimum Ludorum *Secularium* ratio discitur, *p. 73.*
juxta *Quindecimviros* etiam *Princeps* ipse hostias immolasse scribatur.

PVB. Facies utique more tuo, ut de *Secularium* Ludorum origine, X.
 ratione, ac modo me non omnino ignarum dimittas. *TULL.* Occur-
 rent infra alii adhuc numi, in horum Ludorum a *Domitiano*, *Severo*,
 & *Philippis* factorum memoriam cusi: quare nolim hic ample exspatiari.
 Pauca accipe. *Seculares* dicebantur hi *Ludi*, non, quia anno centesimo
 semper fierent: agebantur enim jam *Centesimo* decimo anno, jam citius
 aliquando, jam ferius, quandoque juxta *Suetonium* etiam intermissi.
 Sed quia eorum tantum servabatur intervallum, quantum hominis etiam
 provectæ ætas decurreret: quemadmodum, ubi dici oporteret, nostra
 ætate, sive hominum memoria, dicimus frequenter, *nostro seculo*. Hinc
 prævie missi per totam *Italiam* præcones, hos Ludos indicturi, invita-
 bant ad *Festa*, quæ nemo spectasset unquam nec spectaturus esset. Omnium
 primo

primo facti scribuntur a Publ. Valer. Publicola Primo consule post exactos Reges An. Urb. Cond. CCCLII. Sibyllinis carminibus monentibus, quæ *Zofimus* ex græca retulit, & latine traduxit. Eorum initium est.

Ast ubi jam humanæ longissima tempora vitæ
Orbis, agens, annos referet centumque decemque:
Sis, ROMANE, memor (licet alta oblivia tentent)
Sis memor, ut, qua se nimium Tiberina coarctat
Ripa, feras DIIS in Campo SOLENNIA SACRA:

Expositis deinde Diis, quibus immolandum, & hostiis, ac ritibus, quibus in hæc Sacra utendum, hæc Clausula additur.

Quæ tibi si stabili sint omnia condita mente,
Cuncta tuo ITALIAE tellus, cunctique LATINI
Subdent colla jugo, & VICTORIS scepra timebunt.

XI.

Præcipue hi Ludi Apollinis atque Dianæ, seu quod idem erat, Solis ac Lunæ honorem spectabant, ob decursum tot annorum interval- lum per Dierum Noctiumque jugem vicissitudinem. Quam ob rem *Horatius* mox initio Carminis sui Secularis cecinit. *PHOEBE* i. e. Apollo, sive Sol, *Sylvarumque potens DIANA*, seu Luna: quam deinde *Noctilucam*, sive nocte lucentem appellat. Sed & eandem ob causam, advertente Ill. *Spanhemio*, non pauci numi in memoriam secularium Ludorum cusi sunt, hinc cum capite Solis, inde cum signo Lunæ additis circa eam stellis: quos nonnulli viri docti non recte de Ludis Apollinari- bus interpretati sunt. Præterea vero aliis quoque Diis Deabusque, Superis & Inferis, piamina ac hostiæ fiebant, uti Jovi, Junoni, Latonæ, Parcisi, Ilithyis, Cereri, Diti, ac Proserpinæ. Præcipue autem hymni, eam in rem compositi, Apollini semper ac Dianæ, Diei, Noctisque præfidibus cantati sunt: quemadmodum etiam in utriusque honorem Ludi ipse tribus diebus, tribusque noctibus agebantur. Prima die nocteque supplicabant viri: altera nobiles Matronæ: tertia Pueri, puellæque, patrimi, ac matrimi, i. e. quorum uterque parens adhuc superstes esset. Illuminabantur insuper theatra, omnisque generis Ludi instituti, uni- versa omnis populi lætitia. Preces adhibitæ eo tendebant, ut Diis imperium suum, Populique Romani incolumitatem ordines omnes com- mendarent. *Augustum* vero peculiariter quod attinet, breviter *Suetonius* ait.

Spanhem.
Tom. II.
p. 127.

ait. Nonnulla etiam ex antiquis caerimoniis, paulatim abolita, restituit: ut Sueton in. salutis Augurium, Diale Flaminium, sacrum Lupercale, *LVDOS SÆECV-* Aug. c. 31. *LARES*, & *Compitalitios*. Ut vero Principis hujus curam pro honestate juvenum nosceremus, addidit. *Lupercalibus* (turpibus nimirum *Ludis*) vetuit currere imberbes. Item secularibus *Ludis* juvenes utriusque sexus prohibuit ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore natu propinquorum. Alibi vero ait: *Claudium* Imperatorem in historiis suis prodidisse, quod *Augustus* hos *Ludos* seculares, aliquamdiu intermissos, annorum ratione diligentissime subducta, in ordinem redegerit. *PUB.* Non te dimitterem hodie, nisi posteriores numi, qui *Ludos* denuo referent seculares, me de his ampliora a te auditurum pollicerentur.



DIALOGUS XVIII.

De

DECVRSIONE, & Certamine, ac *Ludis* QVIN-
QVENNALIBVS.

TULLIUS.

Prolixius vere, atque putabam, numis tamen sic exigentibus, nos I. occupat *Glorie Augustorum* *Politica* argumentum, coram te *Tiro-* ne cum fructu tractandum: apud quem supponere prope nihil, docere omnia oportet. Tres hodie, non plures, denuo numos inspiciamus: ut ne onerem te, nec mihi sim gravis. *PUB.* Primus apud me *Æris* magni in *Adversa* laureatum *Neronis* Caput ostentat, cum elogiis: *NERO CLAVDIVS CAESAR AVG. GERM.anicus. P.ont. M.axim.* Cætera exesa. In *Aversa* idem laureatus, vultu tam parvulo, affabre tamen suam ad similitudinem facto, equitat cum hasta transversa, velut in scopum, aut hostem directa, comite altero, qui parvum defert vexillum equestre. Pone: S. C. infra: *DECVRSIO*. Quale hoc *Ludi* genus? *TULL.* Non tam *Ludum* peculiarem fuisse puta, quam in pluribus *Ludis* additam tum *Exercitationem* *Equitum*, tum *Spectantium* voluptatem. *Circensis* alia fuit, alia *Militaris*, & *Funebris* alia *Decursio*,

Tab. V.
Num. XI.

II. Prima, ac *Circensis*, qualem in hoc numo forsitan celebrari, ex iis, quæ infra *Suetonius* te docebit, existimare queas, fiebat in Circo Maximo, primum bigis, trigis, atque quadrigis: quibus Equorum liberorum cursus, tandem & Equitum, postremo etiam Peditum contentio de palma velocitatis, & agilitatis successit, suumque victores præmium mansit. *Militaris*, cujus imago huic numo rursus forsitan convenire possit, quia *Nero* decurrens quasi hastam intorquet, comitemque Signiferum habet, totis Equitum turmis instituebatur, ad multam usque fatigationem, simulata quodammodo hostili pugna: ut inde Equestris militia ad serios exercitata conflictus, agilem dexteramque equorum simul, sui que corporis, & armorum tractationem condisceret. *Funeris* tandem *Decursio* erat solemnibus funeribus addita, ubi Equitum turmæ, permutatis ordinibus, signisque inversis, inter tubæ clangores, hominumque ululatus, aliquoties circa rogum illum, ubi cadaver illustre crematum est, cursu præpete obquitabant.

III. De *Nerone* porro *Suetonius* ita inquit. *EQUORUM studio vel præcipue Sueton. in ab ineunte ætate flagravit, plurimusque illi sermo, quaquam vetaretur, de CIR-*
Neron. CENSIBUS erat. - - Sed cum inter initia Imperii eburneis Quadrigis quotidie
c. 22. in abaco luderet: ad omnes etiam minimos CIRCENSES secessu commeabat, primo clam, deinde propalam - - - Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit, postoque in hortis, inter servitia, & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis IN CIRCO MAXIMO præbuit. Hæc fordida si mireris Augustum in Principem cadere potuisse, noveris, quod ab eodem Scriptore discimus, Neronem in Achaiam quoque profectum, ut Olympicis in Certaminibus cantando, cytharæque artibus vinceret: Coronatum deinde Statuas suas Cytharædico habitu fieri curasse: QUA NOTA ETIAM NUMUM PERCUSSIT. Quemadmodum ergo apud *Zantanum* plures exstant *Neronis* numi *Decursionem* ejusdem variato schemate, ut jam pedestris signifer ei præcurrat, jam unus, jam duo prostrati sub equo recumbant, jam ille quadrigis insistat, ita ibidem cytharædi quoque habitu compararet semel, nullo lemmate, nisi titulis suis. Sed apud *Cl. Patinum* hujusmodi numus depingitur. In *Adversa* stat *Nero*, ut cytharædus actu cytharam pulsans cum elogio, græcis characteribus scripto: *ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ*: i. e. *Neroni Apollini*. In *Aversa* stat *Victoria* alata cum palma, dextra coronam ostentans, cum lemmate: *ΝΕΡΩΝΟC*: i. e. *Neronis* nempe in Ludo cytharæ victoria.

Sueton. l.c. c. 25.
Patin. Imp. p. 92.

PUB. Dignius saltem præ cythara in Principe Equorum studium: unde non mirum, Decursiones in numis Neronianis fisci, quando cytharædi habitum non detrectavit. Roma certe Achaia potior: quem ergo olympicum Victorem in ære perpetuo videri haudquaquam puduit: utique Victor haberi Circensis non erubuit. **TULL.** Ne hoc quidem pudori duxit, quod in orchestra *Excussus curru* (sic denuo Suetonius inquit) *Sueton. un-*
ac rursus repositus, cum perdurare non posset, destiterit ante DECURSUM. *de supra*
Neque enim eo secius CORONATUS est. Facile vincit, non item pulchre, *c. 27.*
qui sibi ipsi Victoriâ imperare potest. Sin porro Decursionem potius Militarem, quam Circensem intueri hic velis, facient forte in rem tuam *Id. ibid.*
hæc alia Suetonii verba: *Ad CAMPESTRES EXERCITATIONES suas* *c. 10.*
admisti & plebem. Quamquam per *Campestras Exercitationes* quid velit Suetonius, atque Militares intelligat, non adeo liquet.

PUB. Uti argumenti, ita & præconii non dissimilis reor esse nummum alterum æris parvi: qui in *Adversa* denuo Neronem exhibet capite laureato, cum titulis: **NERO CAES. AUG. P. M. TR. P. otest.** In *Aversa* super mensam stat amphora, fertumque laureum: infra accubant parma & hasta: videas alicubi & pilam, seu globum, nec non parvulos duos Pegafos. Circum scribitur: **CERTAM. en. QUINQ. uennale. ROM. æ. CONST. ututum.** Infra: **S. C.** Superesse tibi, quæ in his moneas, plura non dubito. **TULL.** Præ omnibus de Nerone nobis Suetonius iterum *Sueton.*
audiendus, qui inquit. **INSTITVIT & QVINQVENNALE CERTA-** *Neron.*
MEN primus omnium **ROMAE**, more græco triplex, *Musicum, Gymnicum,*
Equestre, quod appellavit NERONIA. Dedicatisque *Thermis, atque Gym-*
nasio, Senatui quoque, & Equiti OLEVUM præbuit. *Magistros toti certa-*
mini præposuit Consulares sorte, sede Prætorum. Deinde in *orchestran, sena-*
tumque descendit. Et orationis quidem, Carminisque latini **CORONAM**, *de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi, re-*
cepit. **CYTHARAM** autem a *Judicibus ad se delatam adoravit, ferrique*
ad AVGVSTI statuam iussit. *Gymnico, quod in septis edebat, inter Buthy-*
fia (i. e. Magni Sacrificii) Apparatum, BARBAM PRIMAM POSVIT,
conditam in auream PIXIDEM, & pretiosissimis margaritis adornatam, Capi-
tolio consecravit.

PUB. Præsentio jam nova, & infanda deliria. **TULL.** His vero **VI.**
e dictis omnium prope, quæcunque in numo vides, fumere licet ratio-
nem. Cur in eo scriptum: *Certamen Quinquennale Romæ constitutum: nul-*
lus jam dubitandi superest locus. Pegasi, qui Corinthi alias symbolum,
additi

additi forte : cum hoc certamen, *more græco*, triplex institutum sit. Quamtu *Amphoram* dixeras, forsitan *Urna* est illa, in quam, qui certare voverant, sortes demittebant, ut, quo ordine quisque Ludum intrare deberet, sorte eveniret : quemadmodum alibi de *Nerone* diferte *Suetonius* fatetur. *Sine mora NOMEN suum in albo profitentium cytharædorum jussit adscribi, SORTICVLÆque INVRNAM cum cæteris demissa, intravit ordine suo.* Aut illam aliam *Urnulam* interpreteris, in quam *Judices* de palma sententiam laturi, calculos suos coniecere : eorum namque *Auctoritate* & suam stare fortunam voluit. Unde *Suetonius* iterum : *JVDICES autem prius, quam inciperet, reverentissime alloquebatur, omnia se faciendū fecisse : sed eventum in manu esse fortunæ : illos, ut sapientes & doctos viros, sortita debere excludere.* Vel denique hæc *Amphora*, quæ in numo stat super mensam, *Congii* loco, seu vasculi, quo *oleum ad mensuram* ab *Augustis* donabatur, accipi poterit : quoniam *Nero* ex superioribus *Suetonii* dictis, etiam *Senatui*, & *Equiti*, seu *Equestri* ordini, *oleum præbuit*, quod alias in *Congiariis* plebi solummodo dividebatur. *Hæsta ac Clypeus* solitæ sunt notæ *Equitum*, hic porro *Equestris* certaminis. Quæ vero in mensa eminet *Corona*, alias certantium præmium, ex quacunque arbore, vel herba sit colligata, forsitan eam, quam meruit *Nero*, repræsentat. Quid vero, si globulus ille foret *pixis aurea*, & *pretiosissimis margaritis* adornata, in quam *Nero* condidisse *Barbam primam a se positam*, eamque *Capitolio consecrassè* narratur ?

VII.

PUB. Nimum profecto hac expositione lepidus, merosque in *Neronem* sales componere videris. TULL. Non equidem in hæc te verba mea jurare velim : spes interim demulcet, si *Nero*, qui hæc lepidam, *Suetonio* gravi teste re vera egit, ad nos rediret, fore, ut lauro me sua coronaret. Ineptissima tibi, quod facile colligo, barbæ *Neronianæ* mentio videtur : ignoras nempe, quanta *Romanam* apud *Juventutem* primæ lanuginis Religio fuerit. Anno decimo quinto ætatis plerumque ponebatur prætexta, seu vestis puerilis : abinde in annum vigesimum secundum nutrire barbam oportuit, inque numero eorum, qui idcirco *Barbati* appellati sunt, persistere. Dies illa, qua tandem barba primum ponebatur, solemnis erat, semperque, nobiliores maxime & illustres *Juvenes*, qui tum *Virorum* in numerum adsciscabantur, hos primos suæ lanuginis pilos illi Deo, quem maxime colebant, munus haud aspernandum obtulerunt. Unde est illud *Statii* :

Alexand. Gamal. Diar. L. V. 2. 13. Stat. The. vaid. VIII. 492.

Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iacho.

Nihil

Nihil ergo *Nero* a Majorum consuetudine exerravit per hæc Barbæ suæ
 solennia. Sed nec penitus inter hæc ludicra gesta eundem Principis ob-
 litum esse, rursus te *Suetonius* admonet, ajens: *LVDOS suos, PRO* Sueton.
c. 11.
AETERNITATE IMPERII susceptos, appellari MAXIMOS voluit. Cui
 mox adstipulatur *Dio*, referens: *Neronem* post Victoriã in omnis generis Dio apud
Cl. Pat.
Inpp. p. 92.
 certaminibus adeptam, sic per virum Consularem præconium instituisse.
 NERO CAESAR VICTOR HVJVS CERTAMINIS CORONAT POPV-
 LVM ROMANVM, ET SVVM ORBEM TERRARVM. Quid jam tibi
 videtur? *PUB.* Phi! præclarum Imperatorem Romanorum, ut ajunt
 morionem! *TULL.* Paulo sublimius, ac tu, de *Nerone* sensit Angla
 illa atque nobilis mulier *Bundvica*: quæ, teste *Xiphilino*, Exercitum suæ Xiphilin. ib
L. LXII.
 gentis in Romanos concitans ajebat: *Illos viros non esse, CYTHAROE-*
DO servire, muliebriter ornato, voce $\text{\textcircled{C}}$ *cythara canenti.*

PUB. Digniora spero Augusto fastigio sequenti ex numo perdiscere, VIII.
 qui æris prope medii, penum meam numariam inter rariores, ut arbi-
 tror, beat. *TULL.* Bearet, modo sublestus non videretur. Sed eum Tab. V.
 percensere. *PUB.* Pars ejus anterior *Postumi*, Tiranni sub *Gallieno*, capite Num.
 insignis sic inscribitur: *POSTVMVS PIVS AVGVST.* In *Aversa* Victo- XIII.
 riam videas alatum, basi insistentem, cum palma, & clypeo, cui fi-
 gnum, quod veluti crucem, verius literam numeralem X referre videtur,
 insculptum. Pone Victoriã descriptæ literæ: C. R. forte legendæ:
C. J. aritas. R. eipublicæ. Lemma est: *QVINQVENNALES POSTVMI AVG.*
usti. *TULL.* Sublestæ hunc numum fidei apud me arguunt, tum fabrica
 super eam ætatem fere politior, tum moduli magnitudo, tum literæ C. R.
 in media area expressæ, quod ævi est *Constantiniani*: præterea Numerum
Postumi, quantumvis in *Galliis* frequentes sint in nostris tamen terris ra-
 ritas. Pingit interim nihilominus hunc numum *III. Spanhemius*, sed ex Spanhem.
Tom. II.
 auro, moduloque parvo: in quo Victoria palmam non gestat, neque
 literæ C. R. in area comparent. Reliqua vero numo tuo omnia similia. p. 323.

Quinquennialium autem duplex olim ratio fuit. Erant enim & *Ludi* IX.
Quinquennales, & *Vota Quinquennialia*, quæ initio Principatus pro Augu-
 storum salute, beatoque regimine nuncupata, post *quinque* tandem annos
 exactos, pro præterito tempore soluta, & rursus pro futuro Diis facta
 sunt. De his *Votis Quinquennialibus, Decennialibus* &c. in Parte V. nobis
 agendum erit: ubi *Votiva Populi* in Augustos studia examinabimus. Hoc
 porro in numo, quoniam neque *Votorum* fit mentio, nec *Quinquennialia*
 scribitur, sed *Quinquennales*, mihi potius *Ludi* designari videntur. Quam-
 quam

quam Ludorum, sacrorumque plerumque conjunctio, & Vota sacris annexa, sententiam nihilominus dubiam reddant: nota præterea: quæ in clypeo Victoriæ apparens, literæ X. numeralis imaginem refert, forsitan votorum Decennialium, quæ post exactos primos quinque annos nuncupari solebant, index esse potest. Quo pacto & Ludos simul Quinquennales, & Vota Quinquennalia hic numus prædicaret.

X. Quod vero Ludos attinet, audisti antehac ex *Livio*, eos Religionis causa susceptos, Deorum honoribus initio sacros fuisse. Verumtamen,

Spanhem. quod III. *Spanhemius* dudum adverterat, Gens Romana, in omne genus
Ep. III. ad Adulationis prona, immo effusa, nihil honorum Diis reliquum fecit,
Morell. in adstipulante *Tacito*, quod non etiam in Principes suos atque Augustos
Goth. Num. tribueret. Unde Tempia, Aras, Sacerdotia, Ludos, Agones, Certamina,
p. 524. & quid non demum, alias Diis exhibitum, primis Cæsaribus, *Julio*,

Dio. *Augusto*, *Tiberio*, impenderunt. Sic *Julio Cæsari*, fidem nobis faciente
L. XLIV. *Dione*, cæteros inter honores decretum pariter Senatus Consulto, ut QVIN-
p. 143. QVENNALES ei tanquam HEROI (quo nomine Divi alias fuere) LVDI
Id. L. LI. agerentur. Idem subacta Ægypto *Cæsari* quoque *Oclavio*, postea *Augusto*
p. 456. decretum, eodem scriptore asserente. Sic *Tiberio* sic *Caligulæ*, sic *Claudio*
& *Neroni*, omnibusque fere post eos in fera tempora Cæsaribus contigisse,
aut Scriptores, aut Numi, aut Marmora docent. Unde non mirum, mo-

Joach. rem istum etiam ad *Marc. Cassium Latienum Postumum* manasse: qui a *Gal-*
Meier. de *lieno* Augusto Galliæ cum ingentibus laudibus præfectus, dum hic segni-
Num. Post. ter nimis atque inertissime tot inter Romani Imperii incurfus ageret,
in El. R. sumto Augusti nomine, rem Romanam fortissime, nec sine inclitis Victo-
Num. riis, tutatus est.
Hamb.

p. 204.



DIALOGUS XIX.

De

Aliis LVDORVM, ac præterea HILARITATIS atque LAETITIAE PVBLICAE Imaginibus.

PUBLIUS.

Ludorum denuo Secularium solemnia referunt duo apud me Numi I.
 æris medii, *Domitiani*, alter, alter *Septimii Severi*. *TULL.*
 Uterque in aliquo abit ab imaginibus, quas *Cl. Patinus* edidit. Tab. V.
PUB. Prior capite *Domitiani* laureato spectabilis, hos præfert Num.
 titulos: IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. CEN. XIV.
S.or. PERP. etuus. In *Aversa* sequitur: COS. XIII. tum. LVD. os. SAEC. *cala-*
res. F. ecit. In area Templum elegans columnis quinque suffultum, tecto
 in tria acumina discreto. Sub introitu ara accensa, cui adflans Imperator
 togatus, sacra faciens patera liquorem affundit: adstantium sibi sacerdotum
 alter tibia inflat, alter cythara ludit. Humi vir senex accumbit,
 Cornucopiæ gestans, forte & Urnam tenens, Fluvii proinde, a Tiberis
 imago. *TVLL.* Ita quidem habet numus tuus: sed in quinque numis
 hos Ludos laudantibus, quos *Cl. Patinus* una tabula, forma tamen semper
 variante, sistit; nullus ejusmodi senem cum Cornucopiæ, medius tamen
 eorum cytharædum exhibet accumbentem, gemino tibiae sacris
 assistente. Forsitan & huic numo tuo vitium subest: cui tamen *Aeneæ* Zant. XII.
 ci imago simillima rursus patrocinatur. Neque, si Tiberis icon hic re- Cæs. Do-
 cumberet, incongrua illa videretur, Romæ imaginem subiens, pro cuius mit. Ær. 8.
 felicitate perpetua Ludi seculares sunt acti: cum e contra accumbens cy-
 tharædus, stante Imperatore, minus certe congruere videatur.

Tibiarum porro usus in Sacrificiis semper erat, jubente uno Pontificum, II.
Favere linguis, i. e. a garritis profanis abstinere, &, ne eo fecius
 infaustum aliquid, Diisque ingratum audiretur, Tibicinem insuper ea- Rosin. An-
 nere. Erant Tibiæ e buxō, lævæ aliæ, aliæ dextræ, prout nimirum, tiqu. Rom.
 qui inflabat, dextra, vel sinistra eas apprehenderent, orique applicarent, L. V. c. 11.
 ac diversum proinde sonum efficerent. Peritissimi Tibicinum fuere, qui
 simul dextra lævaque, ut in tuo hoc numo vides, inflare noverant. Horat. in
 les vero tunc fuerint tibiæ, explicat *Horatius*, ita canens: Art. Poet.

TIBI. apud Rosin.

TIBIA, non ut nunc, orichalco vinc̄ta, Tubæque
Æmula, sed tenuis, simplexque foramine paucō
Adspirare, & adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis, complere sedilia flatu.

Cæteros sacrorum ritus in Partem IV. differre congruit. *PUB.* Cur vero *Ludos Seculares* rursus *Domitianus* repetiit? *TULL.* Haud dubium, quin ambitionis ergo: tametsi & ipsa temporis ratio, nisi *Claudii* sacra intervenissent, sic exposceret. Unde quemadmodum *Claudius*, gloriam secularium Ludorum a se factorum cupiens, *Augustum* culpaverat, quasi calculum non recte duxisset, hosque Ludos præoccupasset: ita *Domitianus* ridebat *Claudium*, & arguebat, ut sibi paræ gloriæ copiam faceret. *FECIT & LVDOS SECVLARES*, inquit; *Suetonius* de eo, computata ratione temporum ab anno, non quo *CLAVDIVS* proxime, sed olim *AVGVSTVS* ediderat.

III. *PUB* Alter apud me numus secularis æris medii est *Septimii Severi*:
Tab. V. cuius Caput laureatum, ac Nomen *Adversam* ornat. In *Aversa* medium
Num. XV. tenet basis erecta & quadrata, qualis columnæ supponi solet, cui inscriptum: *COS. ul. III. tium. LVD. os. SAEC. ulares. FEC. it.* Utrumque latus stipant, hinc *Bacchus* nudus, læva hastam, forte thyrsum, cantharum vero dextra tenens, adstante sibi ad pedes tigride, maculosa bestia, cœlum stellatum referente: inde *Hercules* æque nudus, dextra clavam, sinistra exuvias leonis gestans. Supra Basin adhuc lego: *DIS* (i. e. Diis) *AVSPICIBVS.* Infra: *S. C.* Cur non *Apollinem* magis ac *Dianam*, *Diei* Noctisque præfides, quarum jugi vicissitudine anni omnes decurrunt, hoc ære depingi placuit? *TULL.* *Cl. Patinus* geminos depingit numos *Severi* diversis cufos temporibus. Primum quidem Consulatu secundo, dum in *Asiam* properaret, ubi *Hercules* & *Bacchus* una consistunt, addito lemmate: *Dis Auspicibus.* Alterum signatum Consulatu tertio, dum *Ludos* seculares ageret, & huic tuo præsentem plane similem, solo lemmate: *Dis Auspicibus*: omisso. Huic ergo præstantissimo Antiquario cum hic numus, qualis apud te est, visus non sit: vereor aliquantum, ne ei sublesta quæpiam manus, sed plane artifex, vitium fecerit, atque ex gemino numo *Patiniano* tertium construxerit: tametsi aliud fraudis vestigium nullum penitus notem.

IV. Ea porro, quæ refert hic numus, quod attinet, affert *Cl. Patinus* hæc *Zosini*, a me jam supra laudati, verba. *SEVERVS, eum anni CX.*
adpe.

adpetiissent (ex quo videlicet *Domitianus* *Seculares* egerat) cum filiis *ANTONINO* & *GETA* eosdem *LVDOS* ordinavit: In his vero, qui quidem *Apollini* ac *Dianæ* præcipue, insimul tamen pluribus quoque aliis superis inferisque Diis ac Deabus fieri solebant, memor fuisse *Severus* videtur Antiquorum Deorum suorum Auspicum *Herculis* & *Bacchi*: quibus, *Xiphil. in* ut *Xiphilinus* narrat, quamvis in sumtu parcissimus, Templum tamen maximum *Sever.* ædificavit. Signavit præterea numum, de quo supra, utriusque conjuncta imagine, cum lemma: *Dis Auspicibus*: dum contra *Pescennium* æmulum, *Parthorum*que regem, ac cæteros, qui ab hoc steterant, cum filio *Caracalla* proficisceretur. Noverat quippe, *Herculem* tyrannorum dominum, *Bacchum* vero *Victorem* *Indiarum* haberi: eorum proinde supplice cultu se quoque victoriam de hostibus promeriturum confidit. An porro grandi penitus factu *Herculis* imagine, ceu senis & barbati, seipsum *Severus* exprimi voluerit, & *Bacchi* juvenis figura filium *Caracallam*, quod ulterius *Cl. Patinus* suspicatur, non tam facile dixero. *Herodiano* interim fidem faciente, his *Ludis* *Secularibus* a se factis nihil omnino magnificentiæ, atque *Liberalitatis* deesse voluit *Severus*: de quo nobis paulo post denuo sermo redibit. *Herodian. I. III.*

PUB. Præstantem, in quo totum conspiciere mihi videor Amphitheatrum: unde demum sequentem numum petiisti? *TULL.* Ex *III. Spanhemio*, qui eum ad rarissimi *Prototypi* *Medicei* maximi moduli normam *Spanh. Tom. I. p. 164. Tab. V. Num. XVI* delineari, doctisque vulgari curavit. *Adversa* juveni capite laureato *Gordiani* *Nepotis*, hisque titulis superbit: *IMP. GORDIANVS PIVS FELIX AVG.* In *Aversa* vides Amphitheatri molem *Augustam*, forma rotunda, ita propositam, ut intus exteriusque conspici possit: neque enim tectum habet, cameras autem fornicibus firmatas quamplurimas. Foris ad dextram meta esse videtur, parvulæ turris in morem acumine desinens, ad quam in *Circensibus*, certantes sive equis, sive curribus contendebant: prope metam adstat parvula figura cum hasta. Ad lævam *Ædicula* comparet cum ostio, feris forsitan mansuetisque animalibus interea servandis destinata: cujus fores, missa mappa, seu dato ad inchoandos *Ludos* signo illico laxari poterant, ut omne theatrum erumpentibus bestiis momento compleretur. Interiore in circo *Cameræ* omnes spectantibus *Senatoribus* impletæ videntur, quorum medium tenet *Imperator*. *Aream* obtinent *taurus* *ferox*, & *elephas* *insidente* *magistro*, pugna invicem commissa spectaculum *Venationis* *cruentæ* præbentes. Lemma est: *MVNIFICENTIA GORDIANI AVG. usi.*

VI.

PUB. Dū ergo me numus hic magnificus præcipue docet: primum quidem Amphitheatri formam longe splendidissimam: deinde elogium *Munificentix*, quo Romani Principum suorum factos in hæc Spectacula ingentes utique sumtus grati remunerabantur. *TULL.* Ambo hæc teste saltem vel unico numo luculente te perdiscere volui. Scripsit certe *Symmachus*, tametsi longe post ævum hujus numismatis, de simili Indulgentia ad quempiam amicorum. *Sacras mihi literas Julius agens in rebus exhibuit. LEOPARDORVM MVNIFICENTIAM continentes.* Porro de Gordiano Nepote *Jul. Capitolinus* longum catalogum affert peregrinorum ferorumque animalium, quæ ille ad Triumphum suum Persicum Spectaculorum tum edendorum causa undequaque comparaverat. Sed hæc deinde *Philippus*, patrata *Gordiani* cæde, superbe in scenam adduxit. Nihilominus teste hoc numo condiscimus, *Gordianum* jam antea ejusmodi spectaculis populum oblectasse. Artium quippe una, neque postrema fuit in Republica Romana, sive Libera, sive Principibus subdita, ut plebs infinita, irrequieta semper, rerumque novarum cupida, perpetua veluti Ludorum varietate distineretur, ne turbas & seditiones cogitaret. Quantacunque ergo fuerit in hæc Spectacula opum profusio, licet prodigalitatibus alias, arrogantibus, immensæque vanitatis criminibus merito damnanda foret: quoniam tamen necessitas eam extorsit, studioque procurandæ in populo quietis fuscipi vel a nolentibus plerumque debuit, veniam meretur.

Symmach.
L. VII.
Ep. 59.

VII.

PUB. Prævertisti sensum meum: parum quippe abfuit, ut prædicta in namis *Munificentia* vitii a me damnaretur. *TULL.* Eodem lemmate etiam sequens est numus æris magni, iterum ab *Ill. Spanhemio* cum aliis similibus editus, ut demonstraret, Elephantos olim in acie, & loricatos quidem adhibitos, postea vero ex acie in theatra productos fuisse. *Adversa* fulget Capite & nomine *Septimii Severi*. In *Aversa* Elephas adstat loricator totus. Circum legis: *MUNIFICENTIA AUGUSTI.* Infra: *S. C. Primus Elephantorum in bello usus in Africa, & Oriente, deinde in Italia quoque & Sicilia Pyrrhi ac Carthaginis temporibus fuisse scribitur. Adhibere eos etiam Romani bello Punico, belloque Hispanico, Appiano prodente. Tanta porro carniū moles quantum non spatium telis & jaculis præbuit, antequam contra hæc munitur. Cataphractorum itaque militum more, equi pariter & elephantēs ferreas loricās induere coacti sunt: quo factum, Heliodoro referente, ut ingentia hostium agmina effugerent, nullo facinore edito, nec ullo detrimento elephantis illato: BELLUA enim FERRO MUNITA est, cum ad prælium accedit. Sed argutior Jul. Cæsar, contra quem Scipio Africanus Elephantos eduxit, jussit milites suos ut,*

Spanh. un-
de supra
p. 142.
Tab V.
Num.
XVII.

Heliodor.
L. IX.
p. 419.

qua

qua parte corporis nudæ essent belluæ, eo tela conferrent. Sic vel confectæ aliquando, vel profugæ, aut omnino captæ fuere. Quod postremum jucundissimum certe accidere debuit, dum Indi debellarentur: quorum morem ita *Curtius* tradidit. *Longior ubi expeditio est, Elephanti trahunt currum, & tantarum belluarum corpora tota contegunt AVRO.* Tam optata certe, quam opulenta præda Elephas aureus. Curr. L. VII. c. 9.

Tametsi porro auri in locum ferreis solummodo squammis munirentur hæ bestiæ: captæ tamen ingenti erat delicio apud Romanos, tanto magis, quanto illæ, ut fatebatur *Vegetius* rei militaris celeberrimus scriptor, primum in aciem ab hostibus eductæ, magnitudine corporum barritus horrore, formæ ipsius novitate, homines, equosque conturbabant. Unde, dum confecto a Romanis bello Tarentino, triumphabat *Marcus Curius Dentatus*, diserte *Florus* percenset: *Nihil libentius Populus Romanus adspexit, quam illas, quas timuerant, cum turribus suis BELLUAS: quæ non sine sensu captivitatæ, summissis cervicibus, victores equos sequebantur.* Id quod factum est An. Urb. Cond. CCCC.LXXXIII. Cui egregie consonat *Julianus Africanus*, inquit: *Omnia quidem eximia e bellis spolia: nulla tamen dari splendidiore, quam quæ adfert ELEPHAS.* Duplicis itaque numi *Ceciliæ* meminit *III. Spanhemius*, in quo Elephas signatus, jam sine, jam cum lorica, symbolum est obtentæ a *L. Metello* de Pœnis in Sicilia illustris victoriæ, ætque cum captivis Elephantis Triumpho. Notat præterea ex *Appiano*: cum *Quarta Jul. Cæsaris* contra *Scipionem* pugnantis Legio Elephantæ vicisset, diutissime postea non alio signo, quam Elephantis, usam fuisse. Romanæ porro plebi hæ belluæ, in spectacula eductæ, perpetuæ postea oblectationi fuere: eorum qua jam pugnare cum aliis belluis, jam saltare, jam etiam fune ambulare debebant. VIII. Veget. L. III. c. 24 Flor. L. I. c. 15. Julian. Afric. Vet. Gen. Mathem. p. 289.

PUB. Quam omnium in Mundo rerum scena convertitur! Quod metuimus hodie, cras irridemus: nimirum quia Prudentiæ virtutem, cui omnia tandem cedere debent, vel negligimus, aut vim ejusdem sero nimis adhibemus. *TULL.* Prudenter hæc advertis: Sapiens namque non belluis tantum, sed & astris dominabitur. Quoniam autem *Severi* Imperatoris numus, elephante loricato signatus, ad hanc disputationem nos abduxit: non possum apud te silere elegantissimum *Antonini Caracallæ*, qui *Severi* natu major erat filius, numum argenteum: quem in cætera rariorum numorum turba vulgavit *Cl. Liebe*, similemque etiam patris *Severi* existere commemorat. Videas in ejus *Aversa* quasi Navim, in qua ædiculæ plurimæ: ante eam multæ feræ jam emissæ, circumque cursantes IX. LiebeGott Num. p. 443.

Dio
L. LXX-
VI. p. 860.

& pugnantes. Post navim cernitur ipsa Circi Maximi area, cum decurrentibus bigis, & quadrigis: immo & ipsum Amphitheatrum, Spectatoribus oppletum. Lemma est: LAETITIA TEMPORUM. Illustratio petitur ex *Dione*, scribente de Spectaculis editis a *Severo*, ob reditum post victorias, & simul expletum Decennium Principatus sui, innumerarum bestiarum venatione. *Earum* inquit, *Receptaculum*, in *AMPHITHEATRO* ædificatum erat instar *NAVIS*, ita, ut reciperet quadraginta feras, easdemque simul omnes redderet: qua ex *NAVI* subito dissoluta exilierunt ursi, leæne, pantheræ, leones, struthiones, onagri, bissones, quod genus boum est, patria & aspectu barbarum. Itaque septingentæ feræ mansuetæque bestię simul concurrere, & postea confodi visę sunt: occisis enim singulis diebus centum, pro numero dierum festorum, qui septem fuerunt, septingentę sunt occisę.

- X. *PUB.* Mira hæc auditu, quantum non oculos spectantium capere debebant, eorum certe, quibus fluentes e tot bestiis occisis rivi sanguinis crudeles non videbantur. Abunde hic numus præ cæteris, quod expendimus, omnibus, liquidum reddit, primum quidem: immensum fuisse in populo Romano Ludorum perpetuo spectandorum studium: deinde, nulli Munificentię pepercisse Augustos, ut populum sic volentem recrearent: postremo, in numis, quæ omnis Glorię Romanę perennes tabulæ fuere, hujusmodi Spectacula non minus diligenter, atque summas celeberrimasque Victorias, in ævum transmissas esse, quasi vero Roma se Ludis tam magnificam, quam armis suis, existimari vellet. *TULL.* Colligis, quod te maxime intelligere volui. Quoniam vero in superiore numo Receptaculum ferarum *Navis* simile tibi descripsi, hic commonendus es mihi, fuisse etiam Romæ quondam Ludorum speciem, quæ *Naumachia* dicta est, i. e. Navale certamen: dum videlicet vel in stagno, vel in lacu, vel in flumine, aut mari ipso, forma navalis prælii exhibita fuit. Hujusmodi edidisse varios Augustos, vel solus *Sætonius* pluribus in locis luculentus testis est. Eo quoque suo adhuc tempore allusit *Claudianus*, inter cæteros Ludos, quibus Consulatus *Mallii Theodorii* noviter initus honorandus foret, hoc etiam percensens:

Claud. de
Mall.
Theod.
Consul.
v. 330.

Lascivæ subito CONFLIGANT AEQVORE lembi
Stagnaque remigibus spument immissa canoris.

Hæc vero per transfennam. Superest tibi numus æris medii, quo Ludorum denuo secularium, vel quod rarius est, Millenarii Romæ sæculi memoria celebratur, quem recense.


PUB.

PUB. In *Adversa* circa Caput fœmineum, Lunæ impositum lego: **XI. OTACILIA SEVERA AUG. uſta.** Aream *Averſæ* occupet Baſis, ſeu Cip-Tab. V.
PUS, cui inſcriptum: **COS. ul. III. tium.** Pone literæ: **S. C. circum: MIL- N. XVIII.**
LIARIUM SAECULUM. Quid, obſecro, Conſulatus in numo fœminæ?
TULL. Erat *Marcia Otacilia Severa* conjunx *Philippi ſenioris*, & *Philippi*
 junioris mater, putantque nonnulli, eam, agente *Origene*, cum marito,
 ac filio, Chriſti ſacra profeſſam. Porro de *Philippo* ita *Caffiodorus* narra-
 vit. *Aemiliano & Aquilino Coſſ.* **MILLESIMUS ANNUS URBIS ROMÆ** *Caffiodorus*
expletus eſt: ob quam ſolemnitatem innumerabiles PHILIPPUS cum FILIO SUO in Chron.
beſtias in Circo Magno interfecit, Ludosque in Campo Martio Theatrales, tri- apud Cl.
bus diebus ac noctibus, populo pervigilante, celebravit. **PUB.** *Infanus prope-* Patin.
 modum ſpectandi pruritus Quiritibus ineſſe debuit, cum ſpectacula, no- p. 304.
 ſtibus tribus pervigiles, dulciſſimo alias ſomno etiam præhabuerint.
TULL. Non refert apud multos, dummodo lætentur, quo gaudii genere
 animus deliniatur. Cave autem, religionem damnes, quæ imperabat,
 ut ſatis antehac auდიſti, ſæculares Ludos tribus diebus noctibusque agi,
 quia anni omnes alterno dierum noctiumque ordine decurrunt. Cæterum
 plurimi numi in omnium prope manibus verſantur: jam cum *Philippi ſe-*
nioris, jam cum junioris Capite in *Adverſa*. Sed *Averſa* varia eſt. Vel
 enim, ut hic tuus, Baſin exhibet cum Conſulatu III. vel ambos Auguſtos
 cum marſupiiſ ſedentes, vel e ſuggeſtu dividentes congiaria: vel appa-
 rent ibi diverſa animalia peregrina, populo ſpectatum exhibita, ſubno-
 tato ſubinde numero diei, qua oſtenſa ſunt, I. II. III. Lemmata porro
 etiam diverſa ſunt nimirum: **SAECULARES AUGG. uſtorum: SAECULUM**
NOVUM: MILLIARIUM, aut **MILLENARIUM SAECULUM.** Non
 itaque incongruum videtur, in hac tanta univerſæ Romæ lætitia etiam
Otaciliæ Auguſtæ numerorum honorem eſſe impenſum, Poſtica parte ſæcu-
 laria ſolemnia fatente. Vero tamen valde ſimile, in numis, qui hinc
Otaciliæ caput, inde *Philippi* Conſulatum adſcriptum habent, feſtinan-
 tium Monetariorum, formas indebitas conjungentium errorem interve-
 niſſe: cum potius typarium aliud averſum, quod verbi cauſa peregrinum
 animal redhiberet, Capiti opponere debuiffent fœmineo.

PUB. Hoc dubio expeditus, de poſtremis tandem Tabulæ tuæ **V. XII.**
 geminis numis te conſulo: quorum prior æris medii ad *Hadrianum*, ar-
 genteus alter minutus ad *Elagabalum* attinet. Et primi quidem *Adverſa* Tab. V.
 circa Caput laureatum ſolum nomen habet: **HADRIANUS AUGUSTUS.** Num. XIX
 In *Averſa* ſtat fœmina, quæ dextra palmæ ramum prælongum, terræ in-
 fixum tenet, lævo brachio cornucopiæ geſtat. Ad pedes ejus pueruli

Tab. V.
Num. XX

duo jucunde veluti saltitant. Pone fœminam literæ: S. C. Lemma est: HILARITAS POP.*uli*. ROM.*ani*. Infra lego: COS.*ul*. III.*tium*. qui numerus in numis *Hadriani* fere æternus est. Alter numus in *Adversa* circa Caput juvene laureatum habet: ANTONINUS AUG.*ustus*. nempe *Elagabalus*. Retro stat Dea, quæ dextra sertum roseum tenet, læva gubernaculum globo imponit: Lemma: LAETITIA PUBLICA. Jucunda hæc nomina. TULL. Nempe Donis, ac Ludis, omnes ad gaudia excitamur. Unde post monumenta *Liberalitatis*, *Beneficentiæ*, atque *Munificentæ Augustæ*, Numos illos recte collocasse mihi videor, quibus *Populi Hilaritas*, atque *Lætitiæ* congruis symbolis expressa est. Quocirca tamen non assero, hujusmodi numos Donorum, vel Ludorum causa semper editos esse: poterant esse, uti varia lætandi argumenta, ita & motiva hujusmodi numismatum excusorum, quæ tute semper hariolari vix demum licet. Viror interim *Palmæ* semper recens, roseum sertum, pueruli saltantes, *Cornucopiæ*, & *Gubernaculum* orbi impositum, tanquam consueta felicitatis symbola, Lætitiæ & Hilaritatem publicam adeo clare eloquuntur, ut commentario non egeant. PUB. In partem Lætitiæ Romanæ & ego itaque merito venio ob tuæ in me Liberalitatis Dona rursus gratissima: quæ dum rosas mihi quodammodo fragrantissimas afflant, tibi palmam, laudis tuæ æterno virore frondentem, indubie multorum in animis conferunt.



DIALOGUS XX.

De

Beneficiis Augustorum collatis in Rempublicam per
OPERA PUBLICA.

TULLIUS.

Ex quo tam multa sunt, quibus singuli hominum egent, sive cum I.
soli, sive dum multis cum focis degunt: non pauciora certe
sunt capita *Beneficiorum Augustorum*, quorum singula singulis ci-
vium necessitatibus opitulentur. Non satis est, si isti pane aut
frugibus non egeant: si parvulis suis provisum sit: si tributis & vestiga-
libus, publicisque oneribus, ac reliquis veteribus Debitis de Nimium ag-
graventur. Exigit præterea Reipublicæ incolumitas, flosque mercimo-
niorum, & negotiorum quotidianorum commoditas *Vias benemunitas, aquæ-*
ductus expeditos, Portus commodos, aliaque complura, publicis sumtibus
curanda: & si per damnâ temporum detrimenta gravia eveniant, Principe
opus est, qui terræ motibus collapsa, aquis hausta, igne absumta, tabe
pestilenti funditus quasi excisa, armis hostilibus desolata, paterna Pieta-
te, & Liberalitate Munifica erigat, reparet, instauret, atque restituat.
Hujusmodi nova Gloriæ Augustorum Politicæ capita uti in Principum Ro-
manorum historia nequiquam desunt: ita perpetua quoque horum monu-
menta, ære, argento, & auro consignata, non parvo hodie numero su-
persunt. E quibus aliquot saltem numos, in exemplum assumptos, hoc,
& sequenti Dialogo tecum discutiam.

PUB. Fare, age, ut & hic aliquid videam. Sed primum mox nu- II.
mum in meis non reperio. *TULL.* Pinxi tibi eundem ad lineas III.
Spanhemii: a quo & argenteo medii prope moduli vulgatus est: quam *Spanhem.*
quam illum & *Zantanus*, & *Ursinus* a *Patino* recognitus pariter exhibeant. *Tom. II.*
Adversa ejus murum fistit *Ariminensis Civitatis*, cum porta aperta: extra p. 195.
eum vero statuam *Augusti* equo insidentis, super basin, cui inscriptum:
S.enatus. P.opulus. Que. R.omanus. IMP.eratori. CAES.ari. In *Aversa* ad-Tab. VI.
stat *Columna*, cum hoc elogio. *S.enatus. Populus. Que. R.omanus. Num. VI.*
IMP.eratori. CAES.fari. QUOD V.ia. M.unitæ. S.unt EX. EA. P.ecunia.
Quam

Quam. IS. AD AERARIUM. DETULIT. Circum legitur: LUCIUS VINICIUS. LUCII FILIUS. VIR. I. E. DUUMVIR. PUB. Bene est, quod me recensere hunc numum non imperaveris, qui ad singulas prope literas hæsissem. TULL. Tironum non est, sententias integras, initialibus tantum literis nonnunquam in numis consignatas, eruere. Ægre hanc Inscriptionem etiam magni viri sine labendi periculo assecuti fuissent: nisi primum alius numus existeret, hinc cum capite Augusti, inde cum Ponte Tiberis, super quem geminæ Porticus Triumphales erectæ, utrique arcui statua Equestri, ac tropæo superpositis cum expressioribus inter porticum utramque verbis: QUOD. VIAE. MUN. ITÆ. SUNT. Deinde vero residua lectio e Livii verbis colligi potuisset, dum refert: *Senatus in Capitolio habitus: ibi referente Publio Scipione Senatus Consultum factum est, ut, quos Ludos inter seditionem militum in Hispania vovisset, EX EA PECUNIA, QUAM IPSE AD AERARIUM DETULISSET, faceret.*

III. PUB. Nihil de Viarum munitione, quod erudite me doceas, superest? TULL. Plura utique collegit Ill. Spanhemius vir infatigabilis atque eruditissimæ lectionis: quorum pauca accipe. Primum observat, *Vias, Pontes, & Aquæductus*, omni fere tempore Publica inter opera, & quæ Principum curam præprimis decerent, numerari consuevissent: id, quod e

Leg. VI.
D. de Itin.
muniend.

Codice Theodosiano inter alia his quoque pateat verbis. *Abfit, ut nos instructionem VIAE PUBLICAE, & PONTIUM, STRATARUMQUE operam, TITULIS MAGNORUM PRINCIPUM DEDICATAM, inter sordida munera numeremus.* Alterum, quod notat, est proprium refectionis hujus vocabulum apud veteres semper fuisse MUNITIONEM VIARUM. Insuper autem advertit, *vias publicas etiam publicis sumtibus olim muniri solitas.* Unde Livius scribebat: *A Junio Bubulco Censore, Collegaque ejus*

Liv. L.
IX. c. 43.

M. Valerio Maximo, VIAE per agros PUBLICA IMPENSA factæ. Quamquam eæ subinde etiam a privatis, uti a Jul. Cesare ante principatum, munitæ sint: vel, ut munirentur, Viris Senatorii Ordinis ab Augusto

Sueton. in
Aug. c. 30.

demandatum fuerit. Qua de re ita Suetonius de Augusto scribebat. *Quo autem facilius undique Urbs adiretur, desumpta sibi FLAMINIA VIA ARIMINOTENUS MUNIENDA, reliquas Triumphalibus Viris ex Manubiali Pecunia sternendas distribuit.* Porro Manubialis Pecunia ea ipsa fuit, quæ ad AERARIUM deferri solita erat, cum proveniret ex manubiis, sive spoliis hostium, ut exponit Doctiss. Ursinus. Ubi & Gellius audiendus, inquit:

Apud Pa-
trin. Famil.
p. 297

MANUBIAE non sunt præda, sed pecunia, per Quaestorem Populi Romani ex præda vendita contracta. Nimirum cum Romanis insignis quæpiam Victoria, & præda ditior obtingeret, Pecunia parata in ærarium publicum delata,

Iata, & Quæstoribus consignata est: arma vero, impedimenta, & quid-
 quid hostibus præter æs oblatum fuit, dicebantur *Manubiæ* cumque ven-
 derentur, pecunia exinde proveniens *Manubialis*, appellata, ab Imperato-
 re Bellico, qui hostem vicit, aut in ærarium delata, aut faciendis Lu-
 dis, fruendisque Templis, vel aliis magnificis operibus impensa est:
 subinde & in milites tributa: quibus raro libera prædæ copia, nisi in
 expugnatis Urbibus, est facta. Positæ itaque sunt *Augusto* Equestris sta-
 tuæ in Arimino, quod & *Dio* testatur, & Porticus in ponte Tiberis ex-
 structæ, numique cusi, in quibus hæc omnia comparent: quia *Viam Fla-*
miniam ipsemet munivit usque Ariminum, cæteras vero Vias Triumpha-
 libus Viris muniendas præcepit e Pecunia Manubiali, quam videlicet
 ipse, & cæteri, e spoliis hostium venditis ad ærarium detulerant. Quo
 pacto factum, ut rescicerentur viæ, quin ærarium publicum in hoc impen-
 sas faceret, vel plebs tributis novis, aut vectigalibus eapropter onera-
 retur: in quo *Beneficentia Augusta* apparet.

A. Gell.
Noct. Att.
L. XIII.
c. 24.

PVB. Proximus, quem pinxisti numus apud me æris magni est. IV.
Adversæ aream occupant grandes literæ S. C. cum circumpositis titulis: Tab. IV.
 TIBERIVS CAESAR. DIVI. AVG. VSI. FILIVS. AVGVSTVS. PONT. MAXIM. Num. II.
 TRIBUN. POTEST. XXIII. TUM. In *Aversa* Imperator infidet fellæ curuli,
 laurea decorus, & togatus, dextra protensa pateram gestans, sinistra
 hastam tenens. Epigraphe: CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS. Non
 parvum hic Beneficium a *Tiberio*, satis diro alias Principe impensum ce-
 lebrari existimo. TULL. Brevissime illud *Suetoniis*, & ita laudat, ut, *Sueton. in*
 five ex vero, five dedita animi acerbitate, potius Benefactorem vitupe- *Tiber. c. 48*
 ret. Ait namque: Neque provincias ulla quidem Liberalitate sublevavit
 excepta ASIA, disjectis terræ motu CIVITATIBVS. Satis tamen eximium
 hoc Beneficii genus fuisse, duodenarius numerus arguit collapsarum in
 Asia minori nocturna commotione Civitatum: quem silentio prescit *Sueto-*
nius, ast *Seneca*, *Tacitus*, *Plinius*, atque *Solinus* concordi suffragio faten-
 tur. Ill. vero *Spanhemius* asserit, non ita pridem Puteolis marmor effossum esse, *Spanhem.*
 in quo sculpta quatuordecim Urbium simulacra, & nomina apparuere, *Tom. II.*
 manifesto indicio, ad duodecim a supra laudatis scriptoribus enumera- *p. 624.*
 tas, adhuc alias duas, pari infortunio involutas, mox accessisse. Qua-
 rum proinde omnium restitutio, *Tiberii* Liberalitate facta, & numum *Græc.*
 hunc, & æternam memoriam indubie promeruit. Quod si aliquando Ce- *Thessaur.*
 leber. *Grævii* Thesaurus Antiquitatum Græcarum, five *Anton. Bulisouii* *Tom. VII.*
 Neapolis inspicienda tibi obtigerit, leges hoc marmor descriptum, omni- *p. 433.*
 umque a *Tiberio* Restitutarum Civitatum nomina reperies. *Bulisou.*
Napoli.
1694

V. *PUB.* Elegantiore me typo recreat sequens æris magni deus num-
 Tab. VI. mus. *Adversa* circa Caput laureatum inscribitur: NERO CLAVDIVS
 Num. III. CAESAR AVG. GERM.anicus. P.ont. Max. TR.ibunus. P.ot. IMP.erat.
 P.at. P.atrix. In *Aversa* elegantissima exhibetur Portus integer, utro-
 que litore medium in orbem sinuatus: dextro lateri domunculæ aliquot
 inædificatæ videntur. Retro medium tenet statua. In sinu ipso maris
 apparet navis grandior, sex aliis minoribus circumdata, quæ omnes
 hoc in Portu secure conquiescunt. Ante eum vir senex & barbatus,
 verosimillime Neptunus, aut forte Tiberis fluvius cubat, dextram remo
 fulciens, propinquo sibi parvulo Delphino. Supra legitur: AVGVSTI
 infra inter literas S. C. scriptum pariter: POR.tus. OST.iensis. Uti Por-
 tus navigantibus optatissimum præbent perfugium, ita Urbibus, quibus
 adjacent, pulcherrimum plerumque florem afferunt commerciorum: qua-
 re non vulgaris gratiæ loco habendi, sed vel præcipua inter Beneficia
 computandi videntur. Sic quomodo bene meruerit *Nero*, jam ex te
 audiam.

VI. *TULL.* Pingunt hunc numum tuum primum quidem etiam Com.
 Patin. Imp. *Zantanus* Ær. Neron. 8. forma simillima: deinde vero & Cl. *Patinus*
 p. 87. aiens, ære magno sibi sæpius, minore semel tantum occurrisset. Inter-
 est autem tuum inter, ac Patinianum numum, quod in hoc postremo
 Apollo potius laureatus, cum cythara & palma ante Portum recubare
 videatur, nisi ipse Nero in forma Dei, quam Neptunus, aut Tiberis.
 Totus vero Portus Viro Clarissimo negotium facessit: cui videtur, eun-
 dem indubie pro Portu *Antiano* habendum fore, nisi discrete subscriberetur:
 Sueton. in *POR.tus. OST.iensis.* Cum *Suetonius* de Nerone referat: *ANTIVM*
 Neron. c. 9. *Coloniam* deduxit - - ubi & *PORTVM* operis sumtuosissimi fecit. In hac quippe
 Italiæ Urbe, quondam Volscorum regia, in qua *Augustus* aram condide-
 rat, natus est *Nero*: hodie porro locus, ubi stetit creditur, *Italis An-*
zo dicitur, nec longe ab eo novus Portus constructus visitur.

VII. *Ostiensis* interim Portus conditorem, non *Neronem*, sed ejus Ante-
 Idem in *cessorem Claudium* laudat *Suetonius*, inquit. *PORTVM OSTIAE* ex-
 Claud. c. 20. *struxit, CIRCVM DVCTO* dextra sinistraque *BRACHIO*: & ad introitum pro-
 fundo jam salo mole objecta: quam quò stabilius fundaret, *NAVEM* ante de-
 merisit, qua magnus *Obeliscus* ex *Ægypto* fuerat advectus, congestisque pilis
 superposuit altissimam *TVRRIM*, in exemplum *Alexandrii Phari*, ut ad no-
 eturnos ignes cursum navigia dirigerent. Pleraque hæc, ait *Patinus*, in nu-
 mo videas utcunque expressa, vel indicata. Portum quidem ipsum:
 geni-

gemina quoque ejus brachia medium in orbem sinuata : Navem grandem demersam in medio : Turrim quodammodo indicatam per Statuam. Tiberis forte, juxta schema Numi tui, ante Portum recubat, quia *Ostia* eo loco sita erat, ubi Tiberis fluvius in mare Tyrrhenum sese exonerat. Nisi verius Neptunum ipsum hæc imago designat, cujus tridentem, hic quidem non visum, æquora omnia, somnio veterum vereri cogebantur.

Quid vero hic Portus ad *Neronem*? Debebatur, inquit Cl. *Patinus*, hic numus Conditori *Claudio*: qui tam cum citius occubuisset, successoris *Neronis* vultu insignitus est. Nam sæpius contigit, ut, quæ elogia, vel laudabiliter gestorum monumenta uni Augusto parabantur, fato interveniente redderentur alteri, qui proxime successit. Sic Triumphus *Trajano* decretus, oblatum est, actusque ab *Hadriano*. Hæc fere Vir clarissimus. Forfitan autem nonnullo saltem *Neronis* merito hic numus abinde cufus est, quod *Suetonio* teste, destinaret etiam *OSTIA* tenus mania (nimirum Romæ) promoveri, atque inde fossa mare veteri Urbi inducere. Quod licet effectui mancipatum non sit: Fossam tamen fecit ab *Averna OSTIAM* usque, ut navibus, nec tamen mari, iretur, longitudinis per *CLX.* milliaria, latitudinis, qua contrariæ *Quinqueremes* commearent. Id porro non tam laudi, quam vitio *Neronis* deputat hic scriptor, præfatus de eo: *Non in alia re damnosior, quam in ædificando fuit.*

VIII.

*Sueton. in Ner. c. 16.**Id. ibid. c. 31.*

PUB. Teneo rursus elegantem æris medii numum, hinc cum capite laureato, ac titulis caractere minimo & nitidissimo descriptis: IMP.eratori. CAES.ari. NERVAE. TRAIANO. AVG.usto. GERM.anico. DAC.ico. P.ont. Max. TR.ibun. P.otes. COS.uli. V.atum. P.atri Patriæ. In *Aversa* quæ, nescio fabrica cernitur, arcum, Amphitheatri in morem, geminas inter Turres exhibens, qui vel Pontem, vel Portum redhibeat. Turribus trophea militaria imposita. Ante arcum undæ stagnant, & navis conspicitur: geminas vero inter turres catenæ extensæ sunt, introitum munientes. Supra arcum literæ: S. C. circum lego: S. enatus P. opulus. Que. Romanus. OPTIMO PRINCIPI. Fateor, me denno hic saxa inter & vada deprehendi. TULL. Videntur Cl. *Patino* multi quoque viri docti hoc in Portu naufragium fecisse. Diu namque existimatum fuisse, ait, in hoc numo Pontem illum exhiberi, quem *Trajanus* supra Danubium construxit, ut per eundem exercitus Romanus expeditus, securiusque traduci posset, postea ab *Hadriano* rursus dejectum.

IX.

Tab. VI.
Num. IV.*Patin. Imp. P. 141.*

X. Exhibetur autem hic *Portus Antonianus* : quod se non conijcere duntaxat, sed omnino credere Vir Clarissimus asserit, ipso vel hodierno adhuc, qui *Anconæ* in primaria Piceni Urbe superest, conspectu sic jubente. Qui Portus utrinque turribus ornatus, concavo est situ, & arcum insuper adhuc integrum ostendit, sic inscriptum.

IMP. CAESARI. D. NERVAE. F. *ilio.*
 NERVAE. TRAIANO. OPTIMO. AVG. *usto.*
 GERMANICO. DACICO. PONT. MAX.
 TR. POT. XVIII. IMP. VIII. COS. VI. P. P.
 PROVIDENTISSIMO. PRINCIPI.
 SENATVS. P. Q. R.
 QVOD. ACCESSVM. ITALIAE. HOC. ETIAM.
 ADDITO. EX. PECVNIA. SVA. PORTV.
 TVTIOREM. NAVIGANTIBVS. REDDIDERIT.

Extra majus hoc marmor in eodem arca minora duo, hinc & inde posita, sic leguntur, PLOTINAE. AVG. *usti* CONIVGI. AVG. *ustæ.* : DIVAE: MARCIANAE. AVG. *usti.* SORORI. AVG. *ustæ.* Qui porro ante Cl. *Patinum* in hoc numo *Pontem* magis, quam *Portum* viderant, catenam certe, inter turres extensam non observantes, forte procellarum loco habuerunt.

XI. Alias vero natat Cl. *Valens* in *Dissertat. de Numis Trajani*, hunc *Valens* in Optimum Augustum alterum quoque Portum Palæopoli exstruxisse, *Amphitheatri* pariter in morem, & forte ideo *Centumcellas* dictum; qui in *E. R. Num. p. 103.* alio ejus numo exhibitus est, cum lemmate: PORTVS TRAIANI. De *Rutil. in Itinerar.* quo *Rutilius*, sub Theodosio M. Imperatore clarus cecinerat:

Montibus AEQVOREVM concluditur AMPHI-
 THEATRVM.

Patin. Imp. p. 124. Insuper Cl. *Patinus* vulgavit *Septim. Severi* numum æris medii cum typo, qui numo tuo præsentis fere similis, turres tamen grandiores & elegantiores, uti & arcum latiore, adjecto plusquam viginti statuarum ornatu, repræsentat. In eo quoque alii *Pontem*, ipse vero *Portum* agnoscit,

scit, & illum quidem, quem *Severus* apud *Cæsarienses* in *Palestina* restituisse scribitur. *PUB.* Quæ restant apud me *Trajana* monumenta, cum ea alium in *Dialogum* reserves, altioris fore, & prolixioris indaginis reor. Facile etiam præsentio, nonnulla alia, quæ possideo, *Publicorum operum* emblemata hujus omnino *Partis* non esse, sed in cæteras fore differenda. Dum porro ordinem adeo sollicitè servas, tum profectui meo egregie consulis, tum animum meum in ea, quæ succedent, vehementi cupidine iterum semper iterumque accendis.



DIALOGUS XXI.

De

Aliis nonnullis OPERVM PVBLICORVM typis:

TULLIUS.

Viarum, maxime *Publicarum*, quanta necessitas, tanta & dignitas fuit apud *Quirites*. Unde, qui *Vias curandis* erant *Præfeti*, summo pariter honore, & maximo favore plebis utebantur. Testes tibi *Ciceronem* sisto, & *Plinium*. Prior ita agebat: I.
Cicer. ad
Attic. L.
c. 1.

THERMVS est *CVRATOR VIAE FLAMINIAE*: quæ cum erit absoluta, sane facile eum *CAESARI* *Consulem* addiderim. Ecce, viarum cura gradus ad supremum *Consulatus* fastigium: quemadmodum & *Jul. Cæsar* jam *Consul*, *Via Appiæ* munitione, suis pecuniis facta, plebem magnopere sibi demeruit. Alter *Plinius* ita aliquando scribebat. *Secesseram in municipium, cum mihi nuntiatum est, CORNVTVM TERTVLLVM* accepisse *AEMILIAE VIAE CVRAM*. *Exprimere non possum, quanto sim gaudio affectus, & ipsius, & meo nomine.* Ex his æstimare noveris illos omnes *Augustorum* numos, in quibus *Viarum* sive *stratarum*, sive *munitarum* *elogia* occurrunt. *Equorum* numero est ille æris apud te *medij*, a quo hodie *sermonis nostri* *exordium* ducemus. Plin. L.V.
Ep. 15.

PUB. *Adversa* ejusdem a priori *Trajani* numo, in quo *Portum* spectavimus, in nullo demum abito, ejusdem pariter *laureato capite*, II.
Tab. VI.
plis-Num. V.

plisque titulis insignis. In *Aversa* foeminam superiori parte nudam & recumbentem exhibet : quæ dextra extenta rotam sustinet , alteri genuum impositam , læva frondem virentem tenet. Circum scribitur : S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Infra : VIA TRAIANA. S. C. Quam Deam hic latere existimem ? TULL. Viam ipsam foemina designat : rota eorum magnorum , & multiplicium , pretiique summi laborum index est , qui viæ sive sternendæ , sive muniendæ , aut reficiendæ certe impendi debent : ramus virens jucunditatem , commoditatemque bona ex via omnibus suboriri solitam designat. PUB. Cum porro Roma , Urbs tam Augusta , vias utique multas illas , ac varias habuerit , quam demum intelligam , in hoc numo *Traiani* munificentia stratum , sive munitam ? TULL. ve-reor sane , ne VIA TRAIANA , hoc in numo prædicata , a viris doctis inconsulta *VIBILIA* , quam Deam implorabant veteres , ut a viarum erroribus liberaret , inspecta sit : neque satis illi viam stratum , & item viam munitam apud se discreverint. Ægre profecto eorum sententias componas.

Arnob.
L. IV. apud
Rosm. An-
tiqu. Rom.
L. II. c. 19.

III.

Patin. Imp.
p. 142.

Galen. Me-
thod. me-
dend. L. IX
c. 8.
Valens in
Elect. R.
Num.
p. 103.

Cl. *Patinus* omnino vult , hunc numum spectare *Viam Appiam* : quam *Appius Claudius Censor* , primus ab Urbe , ejusque Porta Capena ad usque Capuam munierit (melius straverit) deinde *Jul. Cesar* , ut quidam tradunt , ait , Curator hujus viæ Capua ad usque Brundisium ulterius munierit : tandem novissime restituerit *Trajanus* , desiccatisque paludibus , excisis collibus , aggeratis vallibus , ac pontibus exstructis , permeabilem fecerit , suoque de nomine *Trajanam* appellaverit. Id , quod asserit *Patinus* e prolixis *Galenii* sui verbis : qui tamen de viis passim in Italia a *Trajano* sic refectis , non de *Via Appia* peculiari loquitur. Cl. *Valens* , ubi de numis *Traiani* differit , inquit : Eum *Via Appia* partem illam , quæ ex porta Capena Brundisium ducit , restaurasse , atque im-mensis sumptibus restituisse longum illum aggerem , per paludes *Pompti-nas* procurrentem : quem assidua eluviones variorum fluviorum everte-rant. Hanc proinde tam operosam refectioem per *VIAE TRAIANAE* in hoc numo elogium celebrari.

IV.

Procop. de
Bell. Go-
thic. L. I.

Sed , præterquam , quod desiccare paludes , excindere colles , ag-gerate valles , quæ singula a *Trajano* facta vult Cl. *Patinus* in *Via Appia* refectioem , non tam sit munire viam , ac restituere , quam de no-vo sternere : nescio sane , quomodo tam *Patino* , quam *Valenti* , Viris Clarissimis cum *Procopio* conveniat , qui de *Via Appia* alicubi sic ample prædicat. *APPIVS* (nimirum *Claudius Censor*) ex alia & longinqua tunc regione excisos lapides , & hos quidem siliceos , suapte natura durissimos ,

in hanc VIAM vehendos curavit. Quos planos deinde ac leves redditos, & quadratos incisione factos, junxit & in ordine locavit, metalli nihil vel alterius rei inferendo. Sunt tamen ita connexi, & valide inter se hærent ut speciem visentibus præbeant, non conjunctos ita, sed congenitos esse. Et quamvis tot jam seculis atterantur assiduis plaustris, jumentisque, tamen neque serie sua vel minimum exeunt, neque franguntur, & lavorem suum amittunt. Quodsi jam hujus scriptoris Authoritate sit standum, & largiendum eidem, Viam Appiam, qualiter a conditore suo Appio lapidibus tam firmis, tamque sibi cohærentibus instrata est, Gothorum ad usque ævum integram durasse: quis demum in hac via refectioni a Trajano faciendæ locus esse potuit? Dicendum fere superest nihil, quam ut forsitan reponatur, postrema Procopii verba vel non de omni hac via, sed solum ejusdem aliqua parte, adhuc suis temporibus tam integra, accipienda esse: vel certe de tota quidem, non vero, ut primo facta est ab Appio Claudio tantum, sed etiam ut postea cum ab aliis, tum pariter tandem a Trajano resecta, & longius deducta. Et quidem Jul. Cæsarem fuisse Curatorem Viæ Appiæ, multamque in ea reficienda operam collocasse, quod supra audisti, testis est Plutarchus. Scribitur quoque Domitianus Imperator, eam munisse sumtibus curisque magnis, ac propterea ad Templum Herculis, quod ibi constum erat, statuam suam collocasse, unaque cum Hercule, ob defunctum tam gravissimum laborem, coli voluisse: quo alludere videtur Martialis, canens:

Plutarch.
in Cæs.
p. 709.
Martialis.
L. IX.
104. 1.

APPIA, quam simili venerandus in HERCVLE
CAESAR
CONSECRAT, Ausoniæ maxima Fama Viæ.

Qua vero idonea autoritate laudati Viri Clariss. Patinus, & Valens, id factum a Trajano asserere voluerint, hæctenus ignoro.

III. interim Spanhemius contraria omnia se sentire, non obscure prodidit, tametsi nullam Procopii mentionem ingesserit. Agens enim de Opere Publico Viarum muniendarum, hunc quidem numum tuum, in quo legitur VIA TRAIANA, diligenter commemorat, mox vero addit: quod non jam est hujus loci. Ecce tandem? Vult namque, hoc numo non signari Vias a Trajano non in Italia tantum, sed & in Hispania pluries munitas, sive resectas: sed VIAM INTRA VRBEM, cujus meminit Publius Victor, A TRAIANO STRATAM. Hanc porro APPIAM

fu-

V.
Spanhem.
Tom. II.
p. 125.

fuisse, Vir Illustris altum & undique filet. Hæc coram te, optime Publi, tacere nolui, ut novo discas exemplo, verba veterum, probatorumque & illimum scriptorum, tametsi synonyma videantur, temere tamen atque promiscue neutiquam accipere. Non eadem est *Via strata*, quæ *munita*. Is, quem priore Dialogo primo loco expendimus *Augusti* numus, eundem laudavit a *Viis munitis*, quas alii dudum ante de novo infraverant, ipse lapsu temporum destructas, per se partim, & partim per alios refici curavit. Hic porro præsens numus e converso *Trajanum* commendat a *Via noviter strata*: nisi ab Ill. *Spanhemio*, æterno Magistro nostro, non stare nefas non duxerimus.

VI. Cæterum inter plurimas Romæ *Vias publicas* certe *Appia* & *Anti-*
Stat. Syl- quissima, & pulcherrima, atque longissima fuit: de qua *Statius*:
van. L. II.
 2. 11.

-- -- -- -- qua limine noto

APPIA longarum teritur REGINA Viarum.

Excurrebat longitudine sua itinere bono dierum quinque: latitudine tanta erat, ut plaustra duo ex adverso sibi occurrentia facillime caperet: tota interim lapidibus, quorum unus 5. aut 6. pedes Geometricos expleret, frata fuit. Hujusmodi lapideæ tabulæ, montibus excisæ, quamvis e silice non essent, hoc tamen nomine veteribus appellatæ sunt: uti & *glarea*, quæ nobis arenam grossam sonat, illis lapilli erant grandiusculi & duri, magno cumulo in foveas profundiores coniecti, ut tabulis lapideis solidi fundaminis loco existerent. Quare *Tibullus* ita aliquando *M. Messalam* laudavit:

Tibull.
L. V. El. 8.
 v. 57.

Namque opibus congesta tuis hic GLAREA dura
 Sternitur: hic apta jungitur arte SILEX.

Liv. L.
XL. l. 6. 20.

Quibus vocibus, eodemque sensu, etiam usus est *Livius*, alicubi scribens: *Q. Fulvius* - - - *Censor VIAS STERNENDAS SILICE in Urbe, & extra Urbem GLAREA substruendas, MARGINANDASque primus omnium locavit.* Erat porro *marginare* idem, ac oram Viarum utramque grandioribus lapidibus ita fringere, ac coarctare, ne agger viæ diffuere, dispergi, ac dissipari posset. Neque tamen hæc omnis impensa, atque industria prohibere potuit, quin pluvio cælo, ob hominum, jumentorum, plaustrorumque per vias jugiter commantium immensam copiam, eveniret, quod cecinit *Martialis*:

Martial.
L. VII.
Epigr. 6.

Et Prætor medio cogitur ire luto.

Quo vèro Viæ, maxime principes, iucundiores fierent, una & VII
 commodiores, Cippi plurimi, seu Lapides, per eam distributi, occur-
 rebant, milliaria denotantes, nec infrequenter lepidis inscriptionibus ad
 oblectationem Viatorum insigniti. Addebantur certis spatiis alia quoque
 saxa, quibus aut insidere liceret, aut onera, quæ quis portabat, reclina-
 rare. Utrumque insuper viarum latus sepulchra obsidebant, titulis, *Acerv.
 Nov. Ph.
 Ios. P. II.
 p. 853. seq.*
 imaginibus, elogiis variis, jam feriis, jam jocularibus exornata: ut adeo
 hæ Romanorum Viæ, & corpori, ab itinerum laboribus relevando, &
 animo jugiter recreando, aptissimæ essent. PUB. Perjucundum pro-
 fecto mihi, te de *Via Trajana* differentem, sic a *Via exerrasse*, ut Ro-
 manarum Viarum firmamenta, & ornamenta, breviter mihi, opportune
 que ediceres. Jam, si placet, nostram in viam redeamus.

TULL. Non longe a *Via* abscessimus, cum sequens *Trajani* numus VIII
Aquæductum laudet, longis pariter Viarum carriculis deducendum. Se-
 rius hoc Operum Publicorum genus aggressi leguntur Romani, difficul-
 tate sumtuque maximo deterriti: quousque minori adhuc populo, & Ur-
 bi, aquarum satis ad potum, cibosque parandos, atque lavandum affue-
 bat. Sed crescente fervorùm, sacrificiorum, balnearumque copia, sub
 ann. tandem Urb. Cond. CCCC. XLIV. primi Romæ *Aquæductus* fieri
 cœperunt: adhibitis, *Vitruvio* teste, aut plumbeis fistulis, aut tubulis
 fictilibus per figulos paratis, aut struclilibus canalibus, murariorum
 opera confectis. De qua postrema, eaque sumtuosissima *Aquæductum*
 forma, cum hi quaterno muro struclti canales sæpe a colle, aut monte
 ad montem super valles subjectas produci deberent, cecinit *Rutilius*: *Rutil. Ii-
 ner. I. 97.*
*Vitruv.
 L. VIII.
 c. 7.*

Quid memorem AERIO pendentés FORNICE RI- VOS?

Nec enim ævo illo novere homines, sic arborum truncos perfodere, ut
 aqua per eos transmitti, posset. Quæ res cum sumtu nimio, arduoque,
 ac lento labore confiterit, adeo quidem, ut *Dionysius Halicarnassæus* as-
 ferere non dubitaverit, his in *AQUAEDUCTIBUS*, præter *VIAS STRA-*
TAS, atque *CLOACAS*, Imperii Romani Amplitudinem maxime apparuisse: III. p. 206.
 sancte tantum initio fuit, ut ne videlicet privatis a canalibus aquædu-
 ctus publici detrimentum caperent.

Erant Fossæ, in quas se *Aquæductus* publici exonerabant, ita ut IX.
 & supereffluerent quandoque. Nemini ergo aliunde aquam haurire licuit,
 Pars II. Z quod

Frontin.
L. II. de
Aquæduct.

quod docet *Frontinus*, quam his e lacubus : & quidem in balneorum duntaxat, & fullonicarum usum. Sed & illa vectigalis erat. Sola aqua *caduca*, sic dicta, quod e lacubus mox dictis superefflueret, liberi usus erat inter pauperes. In Capitolii Templum, Jovi sacrum, aqua perducta est, inde Capitolina appellata : sed quæ nulli alteri permittebatur usui, ac abluendis sordibus, quas pecus sacrum, i. e. immolari solitum, factitabat. Aquæductus alii nomina sua similiter, vel a locis, unde, aut quo ducebantur, vel ab iis, quorum sumtu, curaque perducti sunt, varietate maxima sortiebantur. In his erat & *Aqua Marcia*, de qua nata est, quam hoc in numo leges, *Aqua Trajana*. PUB. Est

Tab. VI. hic numus æris medii, cum pari, ut in prioribus, *Aversa*. Ast in Num. VI. *Aversa* Templi quodammodo figuram intueor : stat enim utrinque columna lapidea, ambæ vero fornicis loco frondibus connectuntur. Sub hoc templo residet vir nudus, ac senex, fluvii gerens imaginem, cum fronde ramosa, ac virente in dextra, lævam urnæ imponens, e qua aquæ profluunt, media quadam parvula porta, exitum Aquæductus indicante. Circum lego, ut in prioribus numis inscriptionem votivam : S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Infra : AQUA TRAIANA.

X.

Plin. L.
XXXI.
c. 3.

Frontin.
l. c.
Tibul.
L. III.
Eleg. 7.

TULL. Omnes fere inter Aquæductus, quorum sub Augusto septem erant, ad usque vero *Trajanum* non nisi duo additi, nobilior existit *Aqua Marcia*, de qua *Plinius* libere asseruit. *CLARISSIMA* Aquarum omnium in tota Urbe, frigoris, salubritatisque palma, præconio Urbis, *MARCIA* est, inter reliqua *DEUM* munera Urbi tributa. Cum proinde omnes Aquæ pro qualitate sua certis Romæ usibus destinatæ essent, *Frontino* afferente, placuit, ut *AQUA MARCIA* tota potui serviret, splendore simul, & rigore gratissima. Quare & *Tibullus* cecinit :

Temperat annosum *MARCIA* lympha merum.

Spanhem.
Tom. II.
p. 196.

Frontinum tamen in eo fallere, quod, *Fenestellam* secutus, asserat, *Aquam Marciam* Auctorem habere *Marcum* quemdam *Titium* Prætorem, eruditissime advertit *Ill. Spanhemius* e numo *Gentis Marcie*, hinc cum capite, & nomine *Anci Marcii* Romani Regis, addito lituo : inde Aquæductus cum quinque fornicibus imagine, & inscriptione : *AQUA Marcia*. itemque adjecto nomine : *PHILIPPUS*, ejusque statua equestri. Erat namque *Philippus* illius *Gentis Marcie* cognomen pervulgatum. Hinc ergo liquet, *Aquam Marciam* non a *Marco* quopiam, sed a *Marcio* originem ac nomen trahere : ut *Via*, & *Aqua Appia* ab *Appio*. Quod si jam

Plinio

Plinio credimus, ipse Ancus Marcius, Romanis imperans, hanc Aquam adducere molitus est, vere autem postea adduxit Quintus Marcius, cognomine Rex, ad Ancum Marcium verum Regem progeniem suam referens, & Præturæ honore præcellens. Quam quidem rem laudatus Plinius paucis his, sed magnificis verbis extulit: Invisita miracula, quæ Q. MARCIUS REX fecit: Cui ob tanti operis magnitudinem non officit, etiam si socium ei admiserimus, Plutarcho deferentes, qui Publio simul & Quinto Marciis maximum hunc & pulcherrimum Aquæductum tribuit.

Plin. L. XXXVI. c. 15.

Plutarch. in Coriolano p. 318.

Sed ais: hæc demum omnia, quid ad Trajanum attinent? Reponit tibi brevissime, omnique te dubio eximit, postquam de Aquæ Marcie præ omnibus cæteris Aquis Romanis claritudine jam edoctus es, *Publ. Victor*, inquit. *AQUAE MARCIAE* partem *TRAIANUS* in *Aventinum* derivaverat: unde *TRAIANA* est dicta. Paulo plus aliquid *Cl. Valens* Dissert. de Num. *Traiani* subjungit. „*AQUAS*, inquit, *MARCIAE* „ circa *Viam Valeriam* diduxit, & novo quodam Aquæductu aliquam illarum partem in *Montem Aventinum* derivavit: ex quo in veterem familiæ ipsius domum recurrens, abhinc per omnia circumjacentia se se exonerabat. Qua occasione numus signatus est, cum inscriptione „*AQUA TRAIANA*. „ Postremo monet *Cl. Patinus*, aliam adhuc *Aquam Trajanam*, juxta marmor quidem antiquum, in *Hispania* fuisse: quam tamen hunc ad numum nihil attinere arbitratur. *PUB.* Nunc denique in hoc pariter numo, tua industria, pulcherrime undique video: cum quo tamen inopia mea omnem Operum Publicorum, ab *Augustis* factorum, supellectilem, apud alios utique opulentam, concludit. Gratulor autem mihi vel de modicis hujusmodi monumentis, ita per te expositis, ut & de aliis quandoque, si non statuere, conicere saltem non plane illepide me posse confidam.

XI.

Publ. Victor Topogr. Rom. c. 4. Valens in El. R.N. p. 103.

TULL. Quanto res, quæ geruntur a Principe, utilitate, & magnificentia præstant, tanto æquior est earundem in numis æternitas, & studium tanto laudabilius, veritatem earum, originem, fructum, atque amplitudinem investigandi. Unum tibi adhuc e *Cl. Patino* percensere saltem libet numum optimi Imperatoris *Titi*: cui pulchro mediæ æris monumento aliqua cum Aquæductibus cognatio intercedit. Exstant nimirum *Romæ*, quemadmodum *Columnæ*, *Pyramides* & *Obelisci* multi, ita & sic dictæ *Metæ* complures: quæ erant figuræ conicæ, i. e. rotundæ, infra tamen latæ, supra angustæ, & in acumen desinentis. Hujusmodi *Metarum* una, teste *Publ. Victore*, exstabat in quarta *Urbis*

XII.

Patin. Imp. p. 112.

Regio-

Regione, juxta Arcum Constantini, in Foro Agonali, e lateribus constructa, hac quidem arte, ut aquæ ex ea manarent ad Populi sitim restringendam: quapropter, ut a *Sexto Rufo* discimus, META SUDANS appellabatur. Imposita olim huic Metæ erat Jovis imago: eamque *paulus Diaconus* recenset inter cætera *Domitiani* Imp. exstructa monumenta. Quæ omnia hæcenus allata postquam percensuisset *Cl. Patinus*, subdit, teste numo hanc *Metam Sudantem* verius a *Tito*, quam a *Domitiano* exstructam, censeri debere. Pingit enim ibidem numum cum *Metæ* hujus, ut sibi videtur, imagine in *Aversa*, parte anteriori Caput *Titi* cum titulis suis redhibente. In *Aversa* ipsa comparet *Meta*, ut ante dixeram, forma conica, infra lata, supra angusta, nullo tamen Jovis simulacro, sed globo duntaxat acumini imposito. Infitit porro geminæ basi, quarum superior fornicibus cavata, geminas figuras subintrantes ad potandum, vel hauriendam aquam exhibet: inferior solidæ & integræ molis est. Lemma nullum, præter S. C. Ut proinde dubio non vacet, utrum *Meta Sudans*, an aliud *Titi* monumentum hic expressum sit. Sua ergo sententia *Cl. Patino* relicta, nobis superest, ut sequenti *Dialogo* gemina adhuc *Beneficentiæ Augustæ* genera nonnihil expendamus, *Libertatis* nimirum, Senatui quandoque, vel *Populo* ex parte *indultæ*, & *Monetæ* restitutæ.



DIALOGUS XXII.

De

Beneficio LIBERTATIS, ac MONETAE Restitutæ.

PUBLIUS.

TRes mihi in omnibus meis sunt numi, *Libertatis* imagine & nomine clari, habitu tamen semper eodem: unde unum duntaxat eorum tibi pingere libuit, qui æris medii est. *Adversa* ejusdem Capite *Claudii* nudo conspicua, hos ejus titulos refert: *Tab. VI. Num. VII.*

TI.berius. CLAUDIUS CAESAR AUG.*ustus.* P.*ont.* M.*ax.* TR.*ibun.* Pot. IMP.*erator.* In *Aversa* stat fœmina, utraque manu extenta, læva tamen vacua, dextra autem pileolum gestat, ligamini, quod fœminæ a collo dependet, innexum. Pone: S. C. Circum autem lego: LIBERTAS AUGUSTA. Alter, qui apud me est, medii pariter moduli æreus numus *Hadriani*, inscribitur: LIBERTAS PUBLICA. Tertius parvi æris, atque *Antonini Pii*, solum habet lemma: LIBERTAS. Imago utriusque eadem plane, quæ primo e numo a me recensita.

TULL. Ex quo, Regibus expulsis, *Libera* facta est Roma, nullum fere Numen præ Dea LIBERTATE sanctius coluit. In cæteris Deorum sacris ara quidem ignibus caluit: sed animus frigit. *Libertati* porro omnium corda immensis desiderii ignem veluti perpetuum servaverunt. Omnium certe Quiritum, etiam sub Cæsaribus quantumcunque bonis & optimis, idem tamen sensus erat, quem *Plinius*, uti *Traiano*, suo, ita nulli demum Principi excidere voluit: nimirum subditis omnibus, præ quorumvis munerum summorum, & honorum collatione, dulcius tamen fore, si *Liberi* esse finerentur. *Semperque meminisse debes* (ajebat) *nullam tantam Potestatem cuique dari posse, ut non sit GRATIOR Potestate LIBERTAS.* Sive itaque hæc mellea *Circe* aut vere Romanis obtingeret, aut umbra duntaxat sua ad horam illuderet: illico LIBERTAS, cum ante, tum sub Cæsaribus, tam vano, quam specioso nomine jactari in numis solebat. *Plin. Pa. neg. c. L. XXXVII*

III. Sic cum *Lucius Brutus* e Gente *Junia*, Rege ultimo *Tarquinio* superbo ejecto, *Liberam* reddidisset *Rempubicam*, meruit, post multa etiam secula ejus memoriam in numis renovatam fuisse: quorum pars anterior Caput fœmineum, adscripto nomine: **LIBERTAS**: nimirum *Populo Romano* asserta, exhiberet. Posteaquam *Luc. Cassius Longinus* *Tribunus plebis* sub *Ann. Urb. Cond. DCLIII.* *Tabellariam* legem, ab *Authore Cassiam* dictam, tulisset, vi cujus facta est *Populo* potestas, suffragia ferendi per tabellas in urnulam immittas: quibus vel litera *A. i. e. Absolvo*, vel *C. i. e. Condemno*, insculpta erat: editi jam iterum numi cum *Capite*, & nomine **LIBERTATIS**, plane ad sensum *Ciceronis* ita declamantis. *Tabellaria Lex* a *L. CASSIO* ferebatur: *Populus LIBERTATEM* agi suam putabat. Et alibi: *Ponam principium justissimæ LIBERTATIS Legem CASSIAM*, qua *suffragiorum jus potestasque* convaluit. Tertium item: *Habeat sane Populus Tabellam, quasi Vindicem LIBERTATIS.* Interfecto tandem *Julio Cæsare*, signatum illico in *denario* *Gentis Junie*, itemque *Pletoriæ*, hinc quidem *Caput M. Bruti*, percussorum *Cæsaris Antesignani*, vel *Caii Cassii*, cum lemmate: **LIBERTAS P. opuli. R. omani. RESTIT. uta**: inde cum *Pileo*, pervulgato apud *Quirites* *Libertatis* symbolo, duos inter pugiones constituto, subscripta die: **EIDUS MAR. tii**, qua cædes hæc infanda recuperandæ, ut putabatur, *Libertatis* ergo parata fuit. Et hæc sub *Libera* fere *Republica*.

Cicer. pro
Sexto, c. 48
Id. pro
Cornelio
apud Afcon.
Id. de Le-
gib. L. III
c. 17.

IV. Dum autem fata destinatam submisere horam, ut tentata a *Julio* *Monarchia*, per *filium Cæsarem Augustum*, convulsa penitus *Libertate* *Reipublicæ*, immobilis firmaretur: *Deæ* tamen hujus umbram vel levissimam *Roma* illico confectata est, mox ut *Senatui*, *Magistratibus*, *Populove*, vel tantillum amplioris in re aliqua potestatis a *Principibus* subinde melioribus permissum est: immo propensior tantum in *Rempubicam* voluntas luculentiori quapiam deforis contestatione adpromissa est. Prodidit *Suetonius* de *Augusto*, eum *Voluntatem* illam, quam in *Rempubicam* præ se ferret, & voce sæpius, dum præsidebat *Senatui*, tandem & *publico edicto* sic contestatum esse. *Ita mihi SALVAM ac SOSPITEM REMPUBLICAM* *hæere* in sua sede liceat, atque ejus rei fructum percipere, ut **OPTIMI STATUS AUCTOR** dicar: & moriens, ut feram mecum spem, mansura in vestigio suo **FUNDAMENTA REIPUBLICAE**, quæ jecero. Cui scriptor de suo extemplo subdidit: *Fecitque ipse se compotem voti, nifus omni modo, ne quem NOVI STATUS* paniteret. *Novi*, non ergo antiqui amplius, i. e. *Liberi Status*. Et tamen meminit *III. Spanhemius* insignis *argentei maximorum* e genere numi in *Thesauris Gallorum Regiis*, qui sit *Augusti*, & hoc elo-

Spanhem.
Tom. II.
P. 528.

gium ferat: **LIBERTATIS P.opuli. R.omani. VINDEX.** Noverat videlicet *Augustus* callidus providusque Princeps, non leve, vel captandæ civium benevolentia, vel securitati propriæ retinendæ momentum conferre posse, blanda quadam specie **RESTITUTÆ LIBERTATIS**, molestantam Quiritum Liberorum nepotibus servitutis imaginem, sibi vero intutum tyrannidis odium opportune subducere. Spes eundem hoc pacto, apud se quidem non vana, mulcebat, posse **LIBERTATEM**, ac **DOMINOS** misceri, quod apud *Tacitum* negasse *Tencteros* legere licet: neque sub *Optimo Principe* res omnino dissociabiles esse **LIBERTATEM**, ac **PRINCIPATUM**.

Tacit. Hist. L. IV. c. 64.

Id. in vita Agricol. c. 3.

Verumtamen multos equidem Roma Augusto nomine verebatur, qui tamen, ut *Augustus Cæsar*, minime se gesserunt. Quæ enim bonæ suæ in Rempublicam voluntatis testimonia subdole perfæpe: ac composita fraude ediderunt, paulo post subsecuta acerbissima tyrannide sunt everfa. *Tiberii* vafritiem cogitemus, de quo primum *Suetonius* laudat. Speciem **LIBERTATIS** quamdam induxit, conservatis Senatui, ac Magistratibus, & **MAJESTATE PRISTINA, ET POTESTATE**: neque tam parvum quidquam, neque tam magnum publici privati que negotii fuit, de quo non ac *Patres Conscriptos* referretur. Et iterum: *Cetera* quoque non nisi per *Magistratus*, & jure ordinario agebantur, **TANTA CONSULUM AUCTORITATE**, ut *Legati ex Africa* adierint eos, querentes, trahi se a **CAESARE**, ad quem missi forent. Audi porro, quæ ab eodem scriptore deinceps afferuntur. Mox, ait idem, in omne genus crudelitatis erupit, nunquam deficiente materia. - - - Sigillatim crudeliter facta ejus exequi longum est - - - nullus a pena hominum cessavit dies, ne religiosus quidem, ac sacer. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum &c. Ubi tunc, obsecro, **Majestas Pristina**, & **Potestas Senatus**? Ubi **Consulum Auctoritas**? Ubi **Jus ordinarium**? O fallax species **Libertatis**! Ita sub *Cajo*, sub *Claudio*, sub *Nerone*, sub *Domitiano*, plurimisque aliis actum: immo sub omnibus Augustis retenta sibi **Potestas omnis suprema**, quæ toties viguit, quoties voluit: *Reipublicæ* porro nil nisi fucus subinde inanis **Auctoritatis** est factus.

Sueton. in Tiber. c. 36.

Id. ibid. c. 31.

Id. ibid. c. 61.

Nihilofecius tamen quamplurimos cernimus numos cum speciosis lematibus: **LIBERTAS: LIBERTAS AUGUSTA: LIBERTAS PUBLICA: LIBERTAS P.opuli. R.omani. LIBERTAS RESTITUTA.** Peculiares porro sunt numi: Primum ille, quem *Cl. Harduinus*, referente *Ill. Spanhemio*, vult excussum post excessum *Neronis*, hinc quidem sine capite, aut nomine

VI.

Spanhem. Tom. II. mine p. 410.

mine ullius Augusti, inscriptum duntaxat: S.enatus. P.opulus. Q.ue. R.oma-
nus. inde cum lemmate latino: PAX ET LIBERTAS: vel cum epigra-
phe Græca, quæ idem sonat: ΕΙΡΗΝΗ & ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ. Quem qui-
dem numum *Harduinus* perperam in testem assumit, quasi vero *Nerone* ex-
tincto Respublica in *Libertatem* se afferuisset, neque *Galba*, *Otto*, atque
Vitellius per sese Augusti, sed *Triumviri* duntaxat Reipublicæ, existissent.
Idem unde supra p. 528 Deinde quos rursus laudat *Ill. Spanhemius*, *Vespasiani* numi, in *Aversa*
vel sine, vel intra coronam querneam inscriptum habentes: ADSE-
TORI LIBERTATIS PUBLICAE. Item aureus *Gallieni* numus, in cu-
jus anteriori parte circum Caput ejusdem legitur: GALLIENUM AUG.
sum. P.opulus R.omanus. (subaudi) veneratur, colit, aut prædicat: in
Aversa deinde circum fœminam cum pileo stantem sequitur: OB. LI-
BERT.atem. RECEP.tam.

VII. *PUB.* Hic certe, si uspiam, vani fuisse *Quirites*prehenduntur.
TVLL. Recte si æstimaverimus, non tam vanos, quam jugi sui, ac
potestatis Augustæ perpetuo impatientes eos fuisse arbitrandum est. Quo-
ties proinde Cæsares his in numis pileum contuiti sunt, & nomen *Libertatis*
legerunt: habebant sane, quod suæ Potestati metuerent, modisque
omnibus prospicerent. Anne exiguum specimen putas *Libertatis* semper
affectatæ tot cædes Augustorum liberrime patratas? Recte igitur *D.*
Hieronymus ad amicum olim perscripsit: Cito indignatur LIBERTAS, si
opprimitur. Nemo plus impetrat a LIBERO, quam si servire non cogit.
Tuum cæteroque *Claudii* numum, cujus occasione hæc prolixius di-
cta, quod attinet, non reperio, quid *Libertatis* ille Reipublicæ indul-
serit: Libertis vero quamplurimam indulgisse licentiam ac potestatem,
maximo ei vitio datur. Liberti porro erant servi manumissi, sive a
dominis suis in libertatem restituti: cujus beneficii certissimum erat va-
dimonium, si in templum *Feroniæ* deductis, capite integre raso, pileus
imponeretur, manifestum *Libertatis* sibi redditæ signum. Id sibi contin-
gere optabat ille servus apud *Plautum*, inquit:

*Plaut. Am-
phitr. I. I.
306.*

Quod utinam faxit Jupiter, ut raso capite portem
PILEUM!

Quamquam essent & servi pileati, qui venum exponebantur a Dominis ea
conditione ut nullum vendentes periculum, sive sanitatis, sive probitatis,
in se susciperent, & nullatenus pro eis, quod moris alias erat, cavere
vellent. Apud quos proinde pileus nota fuit non parvæ injuriæ.

*Gellius
Noct. At-
tic. LVII.
c. 4.*

PUB. So-

PUB. Superest, ut ad *Monetam* convertaris, quam residuus nobis **VIII.**
 hodie numus lemmate suo eloquitur, mihi tamen plane incognitus. Te-
 neo equidem geminos numulos argenteos: *Hadriani* unum, in cujus *Aversa*
 stat *fœmina*, dextra *bilancem* tenens, lævoque *brachio* *Cornucopiæ* su-
 stinens, cum *epigraphe*: *MONETA AVG.usti*: Alterum *Septimii Severi*,
 pari *fœminæ*, sed *sedentis* imagine, & lemmate: *MONETA AVGG.ustorum*.
Præterea tres alios *æreos*, ac *medios*, *Diocletiani Jovii Maximiani*
Herculei, & *Constantii Chlorig*. Ubique in *Aversa* par, ut dixi *fœmina*
 adstat, circum vero in unoquoque lego: *SACRA MONETA AVGG.ustorum*.
ET CAES. arum. NOSTR. orum. Quem vero tu pinxisti, nullibi
 apud me reperio. *TULL.* Regium hoc e *Galliarum Thesauris* cimelium
 est, numusque *maximi moduli*: quem *III. Spanhenius* rursus mihi sup-
 peditavit. Qui cum sit *Probi* Imperatoris, adeoque jam multum collapsi *Spanhem.*
 imperii, in cætera ejusdem ævi *pygmea* numorum, aut *numulorum* ve- *Tom. II.*
 rius, *abjectaque* supellectile, pretii vere *Augusti* est. Omnia in hoc nu- *p. 309.*
 mo *exquisita*, & *peculiaria* sunt. *Adversa* enim *protomen* habet, seu *Pro-*
bi laureati *effigiem* ad *medium* fere *corporis*: qui *dextra* *sceptrum* *ducale*,
læva *ingentem clypeum* gestat, addito quoque *vultu* *conjugis* suæ, cujus
 nomen *ignoratur*. Circum *scribitur*: *IMP.erator. CAES. ar. PROBVS. IN.* *Tab. VI.*
VIC. tus. P. ius, F. elix. AVG.ustus. In *Aversa* non una, sed tres, ut *vides*, *Num.*
fœminæ adstant, cum *balance* quælibet ac *Cornucopiæ*, *cubante* *insuper* *VIII.*
 ad *pedes* *singularum* *acervo* *parvulorum* veluti *lapillorum*. Lemma est:
MONETA AVG.usti.

PUB. Dum meis in Numis unica tantum ubique *fœmina* adstat cum **IX.**
balance & *Cornucopiæ* *videri* ea mihi poterat *Æquitatis*, seu *Justitiæ*
imago, nisi nomen *Monetæ* *diserte* undique *legerem*. Ast in hoc numo,
 tametsi lemma *abesset*, cum tres *fœminas* *intuear* cum *acervis* ad *pedes*,
 facile *agnosco*, *cubare* hic *glebularum* *triplicis* *metalli*, *auri* *videlicet*, *ar-*
genti, & *æris*, unde *monetæ* *ferri* *solent*, vel forte *monetas* *jam* *casas*:
 quemadmodum, ut in *Exercit. prox. me* docuisti, *IIIVIR. i. Auro. Ar-*
gento. A. ere. F. lando. F. eriundo. in numis *describuntur* illi, quibus *cura*
Monetæ *commissa* erat. *TULL.* Quam *dextre* *mysterium* *omne* tuo *Mar-*
te *assequeris*: cujus ut apud te *periculum* *facerem*, non nisi *acervos* *par-*
vulorum veluti *lapillorum* tibi *supra* *commemoraveram*, *metalla* *dissimu-*
lans. **PUB.** *Bilancem* *Moneta* *otiosam* *minime* tenet cum plurimum *sanc-*
omnium *hominum* *interfit*, quibus *pecuniæ* *usus* est, *justo* *eam* *ponde-*
re, *debitaque* *bonitate*, ac *metalli* *puritate* *constari*: ut, *quotquot* *de-*
rum *emunt*, sive *vendunt*, *æqua* *mercis*, ac *pretii* *proportione* *media*,
 detri-

detrimentum rei facie familiaris non subeant. Valde enim iniquum est, & in cæteris furtis fere præcipuum, si pecunia fallat, dumque in omnium manibus versatur, non civem unum, vel domum, sed civitates, ac provincias totas decipiat. E converso, si æqua illa sit, mercimonia, uti lætissime florent, sic felices provincias reddunt, ac divites: quare Moneta in numis Cornucopiæ pariter haud frustra ostentat.

- X. *TULL.* Et hæc sapienter advertis: abinde vero facile quoque pervideas, quemadmodum jus signandæ Monetæ ad solos Principes spectat, quorum imago, ibi conspicua, fidem suam quodammodo de æquitate probitateque numi apud omnes interponit, ita non infamam fuisse Gloriæ Augustæ partem, *Monetæ*, ut justa esset, sollicitè cavere, atque curare, quod *Symmachus* monuit, nimirum: *Flandæ MONETÆ nequitiam decoquat larga purgatio.* Hanc ergo sollicitudinem in Principe vel laudare, vel exigere certe videntur hi numi. Id quod clarissime prædicat *Alexandri Severi* numus cum diserto hoc lemmate: RESTITVTOR MONETÆ: quod circa Imperatoris, cum hasta & patera stantis, imaginem legitur. Pinxit eum Cl. *Patinus*. Alterius numi meminit Cl. *Genebrierius*, differens de *Nigriniano*, qui est æreus *Galerii Maximiani* ita inscriptus: SACRA MONET. a. VRB. is. AVGG. uslorum. ET. CAESS. arum. NN. ostrorum: ubi per Urbem utique Roma Metropolis Augusta accipienda est. Quandoque tamen numi, in quibus *Moneta* legitur, vel ejus imago cernitur, prædicant Beneficium Monetæ cudendæ indultum. Hujusmodi est numus *Augusti*, ejusdem honoribus a Colonia Patrensi signatus, cum epigraphe: INDVLGENTIA AVGVSTI MONETA IMPETRATA. Brevius idem Beneficium in variorum aliorum Cæsarum numis ita commendatur: INDVLGENT. ia. AVG. usli. Sive: PERMISSV aut PERM. issu. AVG. usli, vel CAES. aris. Quinimmo subinde hoc jus etiam a Proconsularibus viris concessum in numis legitur: Ut: PERMISSV DOLABELLAE PROCOS. ulis. PERM. issu. L. ucii. APRONII. PROCOS. ulis. III.

- XI. Jam porro, optime Publi, me vela contrahere *Politice Augustorum Gloriæ* apud te opus est: quandoquidem & diffusi jam nimirum fuimus, & inops atque egenâ arcula tua plures nobis numos haud sufficit. Æquum tamen erit, ut sequenti adhuc Dialogo, vel etiam altero, *Augustarum* etiam virtutes præcipuas nonnullis e numis discamus. *PUB.* Omnes equidem eos, qui Romæ olim in circo decurrebant, ardentius nihil prospexisse, ac Metam, facile persuadeor: me vero terret hoc nomen, qui vellem, ut præsens hoc stadium nostrum, quousque e numis aliquid di-

teendum est super , perpetua veluti arena decurreret. Sed enim non æque sibi facile est, exire quotidie mei causa, atque e præclarissimis undique scriptoribus haurire, quo fitim meam affatim restinguas: ac mihi est, fonte sic liberrime currente amplissime bibere. Quies tibi debetur, ut vires dulciter repetas: mihi otium, ut singula, quæ tam largiter doces, secreta mecum animi meditatione salubriter concoquam. Dies ergo, quos dixeras, addamus de Augustarum adhuc Virtutibus: quibus expensis arcum tandem remittamus. *TULL.* Placet sane, quod ferves pariter, ac pariter sapis: id, quod multi non queunt, in alterutro nimii. Tu differenti mihi summa cum jucunditate auscultas, quo ipso tanto magis disertum me reddis: silentium vero tandem indicenti rursus facillime acquiescis, uti non parva, ita merito magni a me facienda animi tui, atque cupidinis moderatione. Medium ergo cum teneas, mi Publi, beatus es.



DIALOGUS XXIII.

De

Virtutibus AVGVSTARVM, & peculiariter de Typis
NVPTIARVM, MAJESTATIS, & PVLCHRITV-
DINIS.

PUBLIUS.

Cum tu ad Augustarum Virtutes e numis prædicandas accedis, vereor, Judicium Paridis nobis oboriturum, notæ inter sæminas, maxime principes, arrogantia ergo: vide sis, cui pomum, ceu pulcherrimæ, dederis, ne rursus Trojæ incendia suscites.

TULL. Lepide me hodie provocas: quia vero Romæ jam stantis, immo amplissime florentis monumenta aurea, argentea, ærea versamus, jam Trojæ, e cujus ipsa cineribus exurgere debuit, ruituræ metu liberi sumus. Sed ad seria ut accedamus, *Majestatem* quidem in Fœminis Augustis, aut *Pulchritudinem*, testæ duntaxat nomine prædicant numi, subque Junonis, aut Veneris imagine celant: contra vero *Pudicitia*, *Concordia*, *Fecunditatis*, *Pietatis* elogia, tanquam propria Conjugum, & Matrum

Augustarum decora; remoto undique flammeo, vulgant. Quæ res Ill.
Spanhem. *Spanhemium* in gravem hanc sententiam impulit, ut plenus admiratione
Tom. I. scriberet. „En rudium scilicet temporum, ut minus urbanorum hominum
p. 249. „simplicitatem! Quid? Non alia erant PRIMORIBVS, non Urbis tan-
 „tum, sed orbis FOEMINIS, majora nulla, vel antiquiora decora, queis
 „earum fama apud præsentem, aut apud posteros memoria nominis commen-
Liv. L.X. „daretur? An sola hæc illarum monumenta digna, quæ, quod ille ait
v. 23. „in alia causa, sculpta saxis, aut ære præscito manerent? - - Illud certe
 „videas, ea testium ac numerorum fide constare illos abunde voluisse, sci-
 „licet: Non *Plebeix*, solum, necdum etiam *Patriciæ*, quibus erectæ olim,
 „teste *Livio*, aræ & facella, sed AVGVSTAE quoque PVDICITIAE sacra
Senec. in „jam adesse. Non utique præterea *aliam esse Legem IN SOLIO*, *aliam*
Agamemni. „privato in thoro: sicuti existimabat Regia illa Conjux apud *Senecam*
Act. V. „Tragicum, sed *Inimica FIDEL*, & *Hostis PVDICITIAE*. „ Hæc por-
v. 264. ro Decora, quibus si non semper refulsere *Augustæ*, tamen, ut refulgere
 vellent, numi eisdem perpetuo occlamaverunt, priusquam ordine contem-
 plemur: volui te illius rei typum præ omnibus inspicere, quæ facere
 solet *Augustas*, numum videlicet, initi *Fæderis Nuptialis* solemnia sacra
 exhibentem.

II.

PUB. Video, & admiror numum perelegantem, quem ante reliquos
 omnes pinxisti: verumtamen *Non est ex horto Flosculus iste meo.* TULL.
 Flos nempe Regius est, quem Ill. *Spanhemius* e regia Gallorum gaza de-
 cerpsit, estque moduli maximi. *Aversa* exhibet opposita sibi capita *Com-*
Tab. VI. *modi laureati*, qui lævam tenet, & *Crispinæ* conjugis, eleganter religatis
Num. IX. crinibus, quæ dextram occupat. Tituli sunt: IMP. COMMODVS. AVG.
 GERM.anicus. SARM.aticus.: CRISPINA. AVG.usta. In *Aversa*, ut vides,
 permutato ordine, Imperator a dextris togatus consistit, *Augusta* a fini-
 stris: media stat, sive *Vesta* ipsa dea, sive *Vestaliū* aliqua *Virginum*,
 velata, utriusque dextris nuptiale in fœdus jungens. Lemma *Posticæ*
 in hoc numo magnifico ætas quidem attrivit: sed illud laudatus *Vir Illu-*
 strissimus aliud vix demum fuisse existimat, quam quod in alio legitur
 simili numo, quem Ill. *Biragius* vulgavit, nimirum: VOTA PVBLICA:
 quæ ob *Nuptias Commodi* atque *Crispinæ*, hic luculente exhibitas, suscepta
 sunt, ut videlicet, quod *Catullus* cecinit,

Catull. in
Epthal.
Ther.
v. 367.

Accipiat CONIVX Felici Fœdere DIVAM.

Vesta five *Vestalis Virginis*, hic dextras conjungentibus, causam reddit *Spanhemius*, ubi hunc numum pinxit: quia Nuptiæ inter res sacras apud Gentes semper sunt habitæ. Liquere hoc ait vel ex solo *Thucydidis* testimonio, de celebri illo Athenarum fonte, cui *Calliroë* nomen, scribens: *Et nunc etiam more antiquo est receptum, ut ante NVPTIAS, & in ALIIS REBUS SACRIS hæc Aqua utantur.* Ubi illic subdit vetus *Scholias*tes: SACRAE enim sunt NVPTIAE. Quocirca etiam in Nuptiali *Philoxeni* apud *Atheneum* carmine ita supplicatur, NVPTIAE! seu HYME-NEE, *Deorum splendidissime!*

Luculentissime vero omnium dignitatem Nuptiarum *Plinius* extulit, III. ita scribens. IN SACRIS nihil religiosus CONFARREATIONIS VIN-^{plin.}CVLO, novæque NVPTIAE FARRVM præferbant. PUB. Hæc sibi ver-^{L.XVIII.}ba quid velint? TULL: Quiritibus olim plane non eadem fuere nomina, ut hodie nobis, Connubium, Matrimonium, ac Nuptiæ. Connubium designabat jus huic, vel illi nubendi: qui enim Romæ natus non erat, illic natam ducere nequit, uti necliberam servus, neque Patriciam plebejus &c. Matrimonium appellabant conjunctionis solemnitatem præviam firmamque conditionem. Nuptiæ erant ipsa tandem cœna nuptialis, & in domo conventio. Maxime vero sollemnis conjunctio illa fuit, qua Pontifex Maximus: aut alius Pontificum, adhibitis certis frugibus, præcipue autem mola salsa, sponsum sponfamque dedicabat. Fuit porro Mola salsa aliud nihil, quam modicum farris & salis commixtum, quo animalia omnia, in sacris offerenda, lustrari, pura reddi, & consecrari debuerant. Hæc dedicatio sponсорum per farrum sale commixtum *Confarreatio* appellabatur: maximæ deinde prærogativæ erat, *confarreatis*, i. e. sacerrime atque sollemnissime conjunctis Parentibus natum fuisse. PUB. Capio jam supra laudatum e *Plinio* illud *Confarreationis vinculum*, nec miror, ut bene beateque id eveniret, maxime inter Augustos, *Vota publica*, quod numus docet, suscepta fuisse. TULL. Lufit hæc vota eventus: *Commodus* enim hanc conjugem suam *Crispinam*, *Bruttii Præsentis* Consularis viri filiam, adulterii vel ream, vel infimulatam duntaxat exilio in insulam capream deportari jussit: cum tamen ipse vir omnium prope fœminarum existeret.

PUB. Cum *Junonis* imagine quatuor mihi sunt numi, unus *Faustinae* V. senioris, quem pinxisti, tres deinde ærei, primus *Faustinae* junioris, cæteri *Soloniae*. In præsentis *Adversa* circum caput fœmineum *Faustinae* T ab. VI senioris, quæ fuit *Antonini Pii* conjunx, lego: FAVSTINA AUGUSTA. Num. ..X

In *Aversa* stat dea capite velata, cum patera in dextra, & hasta in sinistra: ad pedes pavo. Epigraphe: JVNONI REGINAE. Puto, vel nolentes nos, hi, atque similes numi, ad dearum concilium trahent, Parti alias quartæ reservatum. TULL. In numo quid faciat Juno, dicam breviter: in cælo olim, vel templo quid fecerit, hodie non dicam. Alias ex me audisti *Dial. ult. partis primæ*. Augustos sæpe Apollinis, sive solis imagine pictos fuisse in numis: Augustarum vero capita Lunæ imposta exhiberi. Jupiter porro antiquis idem, qui Sol; Juno haud alia, quam Luna. Cum itaque Sol & Luna diu noctuque micantes, alterna virtute toti Mundo præsideant, lucem tribuant & fecunditatem: placuit, Soli, sub Jovis nomine, primum in Diis locum, ac supremam in cælo terraque potestatem assignare: Lunam vero, sub Junonis nomine, in apice Dearum omnium collocare, immo fingere Sororem Jovis, & Conjugem, ac proinde Reginam Dearum.

- V. Non mirum proinde cum Quiritum adulatio Principes suos plerumque Deorum præconio extulerit, immo vivos etiamnum aris templisque coluerit, Fœminas Augustas, Majestatis innuendæ gratia, Junonis & nomine, & imagine in numis honoratas esse. Primum id *Liviæ* contigit, *Augusti* Conjugi, de qua cecinit, blasphemiam hanc execratus, Christianus *Prudentius*:

Prudent.
L. l. advers.
Symmach.

Adjecere sacrum, fieret quo LIVIA JVNO.

Verumtamen non a morte solum, sed & dum viveret, sic ei blandieba-

Ovid. ex
Ponto l. I.
o. 117.

Quæ VENERIS formam, mores JVNONIS habebat,
Sola est CAELESTI digna reperta THORO.

Plant.
Cass. II.
o. 14.

Cælesti, canebant, i. e. *Augusti Dei*, *Thoro*. Post *Liviam* facile ad alias Augustas hæc eadem adulatio transivit: immo a principibus fœminis ad infimam usque plebem manavit, ut viri uxores suas dicerent Junones, hæc vero viros suos Joves appellarent, ore saltem ludicro poetarum. Sic *Plautus* Comicus alicubi virum uxori suæ iratæ dicentem inducit:

Eia, mea JVNO, non te decet esse tam tristem JOVI tuo.

Varia cæteroquin, & quamplurima cognomina olim *Juno* fortita est, de quibus alibi: in numis vero Augustarum vix alia legas, quam JVNONI REGINAE, quo Majestatem, vel JVNONI LVCINAE, quo felicem partum Augustæ innuere volebant. Velata est ejus imago. Gravitate causa; pateram tenet, Divinitatis hastam; Potestatis ergo. Pavo eidem frequenter, non ubique, adstat. ut alias causas hic mittam, præminentiae regiae typo. Avium enim pulcherrima est, de qua *Varro* fatetur: *Huic natura e volucris dedit palmam.* Reginam ergo Deorum regina avium merito stipat.

*Varro de
Re Rust.
L. III. c. 6.*

VI.

PUB. A Junone ad æmulam Venerem transeamus, cujus ego imaginem decies in numulis meis reperio, vel cum solo nomine; VENVS: aut cum Epithetis: VENVS FELIX: VENVS VICTRIX: VENVS CAELESTIS. Typus fere undique idem est, fœminæ nempe, jam honestius, jam negligentius vestitæ, ac cum pomo & hasta adstantis: nisi quod in numo parvulo argenteo *Faustinae* junioris hastæ loco videam gubernaculum, cui Delphinus implexus: in numulo argenteo *Juliae Domus* pro hasta jaculum: in numo æreo medio *Mammae* non pomum, sed infantulum, quem dea gestat, & læta intuetur. TULL. Prævolas industriam meam, ut unicuique loco congruos numos exquiram: erit enim tempus, quo singulos Deos, Deasque ordine suo in scenam producam. PUB. Fac, obsecro, veniam: ecce, redeo in viam, numumque a te proxime pictum recenseo. Aris est medii, ac *Juliae Soemias*, quæ *Elagabali* mater fuit. In *Adversa* circum caput ejus lego: JVLIA SOEMIAS AVG. *usta.* In *Aversa* stat fœmina, medio corpore nuda, dextra pomum, sinistra hastam gerens. Lemma est: VENVS CAELESTIS. Non ab similibus apud me alter, sed fidei sublestæ, exstat cum vultu *Magnæ Urbicæ.*

Tab. VI.
Num. XI.

VII

TULL. Cl. quoque *Patinus* geminos ejusdem *Soemias* numos pingit: quorum primi postica Venerem stantem eadem forma sistit, ut in tuo, sed honestius tectam, appositis quoque literis S. C. In altero Venus sedet, adstante sibi parvulo Cupidine, qui pomum a matre veluti repositere videtur. Epigraphe in utroque pariter est: VENVS CAELESTIS. Quemadmodum videlicet ea fuit paganorum olim cæcitas, ut lepide sibi persuaderent, uno in Deo tot diversas virtutes, quæ sese rebus in humanis exerunt, locum non habere, ac proinde deos plures confingerent, deasque, & unicuique certas duntaxat operationes tribuerent: ita & Augustorum suorum, atque Augustarum diversa felicitatis capita variarum Deitatum imaginibus expresserunt. Cum proinde *Majestatis*

statis

*Patin. Imp.
p. 273.*

st. stis indicandæ causa in numis Fœminarum Principum pingerent Junonem, si eas ab eximia Formæ, Pulchritudinis, & Amabilitatis gratia commendare vellent, Veneris typum adhibuere. Unde ortum, ut passim pulchra omnia veneres dicamus. Quia vero hæc amoris dea ab impuro pulchritudinis abusu sæpe turpiter audit: VENEREM aliam *δουραν* i. e. CAELESTEM, quæ castum jungeret & foveret, atque legitimum & conjugalem amorem: *παρθενος* aliam, seu scortorum deam, quæ igne nefando accenderet, appellarunt. Pomum, quod gestat, aureum est, ac illud ipsum, Veneri, tanquam pulcherrimæ, ut fabula habet, a Paride Trojano adjudicatum, dum illa cum Junone & Pallade coram eo de formæ præstantia certaret. Si quando conjugium peculiariter fortunatum commendare vellent, scribebant in numis: VENVS FELIX. Si illud exoptata fœcunditate populos recreavit, lemma erat: VENERI GENITRICI.

VIII.

PUB. Aliud Veneri præconium tributi sequens æris parvi numus: in quo hinc quidem Caput video, miro crinium ornatu, adscripto nomine: FAVSTINA AVGVSTI PII FILIA: nimirum junior, & Uxor Tab. VI. Num. XI. *M. Aurelii*. Inde, stat Venus prope unda, Martem pariter nudum, solaque galea testum, & clypeo quem gestat, sceptroque ducali armatum, ac progredi quasi volentem, ambobus brachiis retinens. Lemma est: VENERI VICTRICI. Pone imagines: S. C. Hoc idem porro elogium in alio apud me numo æreo *Saloninx* pariter lego: ubi tamen

Genebr. in sola Venus stat cum pomo & hasta. TULL. Cl. quoque Genebrierius El. R. Num. p. 234. quemdam æris minimi numum, cujuscunque tandem sit commatis, a se possessum olim vulgavit, dum de *Magnia Urbica* differeret, cujus Caput in *Adversa* existit, ac tituli: MAGNIA VRBICA AVGVSTI. Pars

Zantan.

XII.

Cass. Aug. Arg. 59.

Aversa Venerem stantem exhibet, quæ dextra galeam gestat cristatam, læva hastam transversam, accubante sibi ad pedes clypeo: ut adeo quasi spoliis Marti detractis superbiat. Epigraphe: VENVS VICTRIX. Sed & Com. *Zantanus* in argenteis *Augusti* numis dudum jam ante æqualem Veneris imaginem ab *Aenea Vico* sculpi curavit, hoc solo discrimine, quod ibidem dea stans fere nuda galeamque & hastam manibus gestans, accubante clypeo, sinistro cubito columnæ innitatur. Nomen Veneris non adest, pro quo transversa linea scriptum: CAESAR. DIVI. Filius.

IX.

Plin.

L. VIII.

7.

Deæ huic Romæ in Theatro Pompeii Templum sacrum fuisse *Plinius* docet, dum inquit: Pompeii altero Consulatu, Dedicatione templi VENERIS VICTRICIS pugnauerunt in circo viginti elephantés. Notat insuper Cl.

Pati.

Patinus, frequentes cum hoc titulo existere Inscriptiones veteribus in lapidibus : quas ille accipi posse putat vel de *Victoria Veneris* apud *Pari-* *Patin. Imp.*
dem in illa, quam supra retuli, pulchritudinis cum *Junone & Miner-* *p. 200.*
va contentione : vel cum *Venus & dea*, & mater amorum vulgo habetur, de *Potentia amoris*, universum prope *Mundum* subigente, ac vincente. Ast quoniam tuo in numo *Martem* retinet *Venus*, & in duobus aliis laudatis hæc eadem spoliis *Martis* dives comparet : alluditur certe ad impotentiam amoris, qua *Venus* olim *Martem* pellexisse confingitur : ac proinde *Victrix Martis*, cæterorum *Victoris* prædicatur. Libuit porro hæc imago, & encomium istud *Quiritibus* tanto magis, quia *Æneæ* propago erant, hic vero *Veneris* filius, hujus amafius *Mars*. Potissimam vero causam fuisse non vane conjicio, ut unico numo *Augustus* pariter, & *Augusta* honore divino mactarentur, illo per *Martem*, maxime si bello inclitus erat, uti *M. Aurelius*, indicato, illa per *Venerem* designata. Amoris porro casti, sacroque conjugii fœdere illigati *Victoria*, præterquam quod utili dulcedine omnes delinuat, nemini etiam *Principum pudori* est.



DIALOGUS XXIV.

De

PVDICITIAE, CONCORDIAE, FOECVNDITATIS, & PIETATIS in Liberos Imaginibus.

PUBLIUS.

Cum *Vestam* lego in proximo numo perpulchro, qui mihi non ob-
 tigit, omittere tamen non possum, quin pluribus meis in-
 numis me *Vestam* videre commemorem, sed solam, sive stantem,
 sive sedentem, quandoque cum adscripto nomine *VESTA*,
 alias cum epigraphe : *AVGVSTA*. Symbola ejus sunt, vel *Palladium*,
 vel *fax*, vel *patera*. *TVLL. Vestam* nonnulli, qui veteres fabulas cu-
 derunt, *Primam deorum dearumque* commenti sunt, ante *Saturnum*,
 cujus matrem eam volunt, ante *Jovem*, *Junonem*, omnesque cæteros cultam:

alii vero ex Saturno, & ope genitam, Jovisque, Neptuni, ac Plutonis, Junonis item, Cererisque sororem mentiuntur. Quid porro *Vestæ* nomine vere coluerint Romani, æque incertum. Plurimorum opinione virgo fuit perpetua, & Ignem designabat, qui dum nihil ex se producit, castimonix typus evasit. Nemo autem diffitetur, Ignem sacrum eam fuisse, Trojæ cultum, deinde ab Ænea in Italiam secum delatum, constitutis Vestalibus Virginibus, qui eum fovere perpetuo ceu *Custodem Imperii Flammam* debuerunt. In numis Augustarum, aut Vestæ, aut Templi sui, vel Aræ, aut Vestalium Virginum imagines signare placuit, designandæ *Pudicitix* ergo, qua vel erant, vel esse debuerant Principes illæ fœminæ.

II. Præsentem numum *Julix*, quam *Septimius Severus* conjugem habuit, *Patin. Imp.* ex Cl. *Patino* tibi pinxi, qui est æris medii. Vultus *Julix*, ac nomen ornant *Adversam*. Retro Templum adspicis rotundum, cum *Vestæ* simulacro: ante illud vero Aram, in qua ignis exardet. Adstant aræ hinc, ut videtur, ipsa *Julia*, inde Vestalium Virginum Præses: post hanc Vestalis alia, uti post *Juliam* fœmina altera non velata, una forte filiarum ejus, quarum duas genuit, præter filios *Caracallam* & *Getem*. Ambæ porro, *Julia* nempe & Præses Vestalis, pateram libatoriam simul tenere, & liquorem sacrum aræ affundere videntur. *Epigraphe*: VESTA. Infra: S. C. Addit vero Cl. *Patinus* mox ibidem alterum numum, ubi non quatuor, sed sex mulieres sacrificio adstantes videas, cum lemmate: VESTA MATER. Quantumvis autem Vestales omnes ad hæc sacra advocare libuisset, male tamen hic litatum est. Infelix namque *Julia*, licet alias in numis PIA FELIX AVGVSTA scriberetur, a *Pudicitix* sacris abfuit immane quantum, incestus cum proprio filio *Caracalla* apud Scriptores insimulata.

III. PVB. Quod sequens numus refert, *Pudicitix* elogium, apud me tertium lego: ubique tamen non nisi unica est mulieris sedentis imago. TULL. Ut proinde pretiosum a vili, atque vulgares & communes numos a selectis internoscere discas, numum parvi æris multo elegantiorum denuo ex Cl. *Patino* attuli: qui eundem typum etiam in maximo ære se possidere testatur. *Adversa* ejus circa Caput fœmineum nomen habet: HERENNIA ETRVSCILLA. AVGVsta. In *Aversa* fœmina sedet parte superiori nuda, dextramque versus faciem attollens, læva sceptrum tenet, quam Cl. *Patinus* putat esse Deam, vel Virtutem *Pudicitiam*. Adstant eidem hinc & inde salus dea cum serpente suo, & Felicitas seu

Id. ibid.

p. 316.

Tab. VI.

Num.

XIV.

seti Fortuna prope nuda, Columnæ innixa, atque eaduceum gestans : qua quidem in imagine *Patinus* Pacem agnoscit. Lemma : PVDICITIA AVGVSTAE.

Commonet me hic numus alterius cujusdam, magni moduli, quem IV.
Genebr. in
El. R. Num.
p. 237. Eruditus vulgavit Cl. *Genebrierius* hinc cum capite miri ornatus, ac pretiosi, & nomine : MAGNIA. URBICA AVGVSTA. Inde rursus foemina sedens capite velato, dextram pariter ad vultum attollens, qua tamen pomum gestare videtur, laeva hastam sustinens. Ante eam duo parvuli: quorum praecipue alter, ambabus manibus quasi ad matrem protensis, pomum appetere colligitur. A tergo foeminae sedentis adstat Felicitas, decore vestita, cum Caduceo & Cornucopiae. Epigraphæ, ut antea : PVDICITIA AVGVSTA. Hariolatur hic Cl. *Genebrierius*, foeminam sedentem esse Deam *Pudicitiam* : parvulos interpretatur *Carinum* & *Numerianum*, ceu *Magniae Urbicae* filios, quam vel exinde *Cari* Imperatoris fuisse conjugem contendit. Hos, ait, togatos reverentiae causa adstare Deae quemadmodum in aliis numis *Trajanus*, & item *Commodus*, minori forma Jovi adstant Conservatori, quasi sub ejus tutela constituti. At vero Ill. Spanhem.
Tom. II.
p. 311. *Spanhemius*, hunc eundem numum pingens, advertit, *Genebrierium*, Regiae apud Gallos Societatis, quae Inscriptionibus Numisque tractandis instituta est, Affectorem Clarissimum, mox ab alio ejusdem Societatis Viro Docto commonitum fuisse: non posse videlicet his in parvulis, quorum alter puerili more pomum appetit, aut saltem gesticulatur, *Cari* filios accipi, quos Pater ad imperium evehctus statim, jam adultos quippe, *Caesares*, immo & *Augustos* dixit, ac proinde hunc numum etiam argumento non esse, quod *Magnia Urbica* conjugem *Carum* Augustum haberit. Nihil equidem hoc loco controversia ista ad nos. Hoc tamen solummodo observo, videri mihi in utroque numo, tam *Patiniano*, in cujus imagine forte sculptor pomum a se non observatum omisit effingere, quam *Genebrierii*, aut sedere *Venerem caelestem*, cui pomum proprium, neque *Pudicitiae* nomen disconvenit: aut ipsam Augustam, quo pacto *Pudicitiae* vox nominis rationem non habet, sed meri elogii. Huic porro Virtuti, *Pudicitiae* inquam, sive descripta hic tantum, sive insuper picta sit, intra casti Connubii limites persistenti, maxime apud Principem foeminam, rite congruunt *Faecunditas* per puellas designata, *Salus* praeterea, & *Felicitas* Reipublicae comites. Casto quippe thoro Augusto aether favet, & Mundus: Soboles vero inde procreatae, tanquam aurea poma, aurea populis atque provinciis secula spondent.

V. PUB. Post illustre *Pudicitiae* præconium in sequentibus numis com-
 Tab. VI. modum ad *Concordiae* conjugalis imagines transis, quæ, nisi salva *Pu-*
 Num. XV *ditia* consistere non potest. Prior numus, quem e meis selegisti, ar-
 genteus parvus circa Caput fœmineum inscribitur: JVLIAPAVLA AVG.
usta. Retro fœmina sedet, quæ, si velata esset, *Vesta* imaginem re-
 ferre posse mihi videretur. Ante eam enim fiat ara accensa, supra quam
 illa dextram cum patera extendit: lævo brachio geminum copix cornu su-
 stentat, unde fructuum loco geminæ lampades exardent. *Epigraphe*:
 CONCORDIAE AVGG.*ustorum*. Vota hic quodammodo fieri pro jucundis-
 simo conjugii delicio, animorum nempe mutuo consensu, cordiumque
 unanimi affectu, quem flammæ se mutuo excitantes atque foventes demon-
 strant, non difficulter apparet. TULL. Hæc vota intra se duntaxat
 consistere. Etenim *Juliam Corneliam Paulam* turpis ille *Elagabalus* pro-
 pe puer primam omnium conjugem accepit. Ardebant flammæ non ta-
 men nutriebantur: cito proinde extinctæ. Maculam enim nonnullam
 in *Paulæ* corpore causatus fœdus ille hircus, rupit vinculum, concordiam expul-
 lit, conjugem repudiavit. Interim peculiare est huic numulo tuo, quod flam-
 mas e cornubus copix prodeuntes exhibeat: vix in alio numo id vidisse me-
 Camerar. in mini Recte interim his flammis, si meliorum conjugum fuissent, Doctiss. *Ca-*
 in Emblem. merarius suum illud Epigramma venustum subscriberet.
 Amor.

Felices TAEDAE, gemino quæ ardetis amore:
 Extinguent vestras tempora nulla faces.
 Altera si cedat, reduces dabit altera flammæ:
 Se fovet, & sese MUTUUS URIT AMOR.

VI. PUB. Qui sequitur numus æris medii, in *Adversa* non fœminæ,
 Tab. VI. sed *Aureliani* Imperatoris caput redhibet laureatum, cum nomine: IMP.
 N. XVI. AURELIANUS AUG.*ustus*. In *Aversa* ipse laureatus, ac paludatus ad
 lævam consistens cum hasta, dextram jungit Augustæ suæ *Severinæ* con-
 jugi: quæ sinistram attollens, *Aureliano* veluti monstrat parvulum ca-
 put, quod supra eos in medio existens, radios emittit, cum nonnulla
 vestis lacinia in humeris. Lemma est: CONCORDIA AUGUSTA. An
 in parvulo capite pignus quoddam Augusti thori, filiolum nempe, mu-
 tui inter conjuges amoris, tantoque firmioris Concordiæ pyrobolum su-
 spicer? TULL. Hæreo sane ad parvulum Caput: puto tamen, cum
 radios emittat, Apollinis esse, qui sub nomine *Orientis* frequens adstat
 in numis *Aureliani*. Ex *Severina* enim conjugē, quam & ipsam, nisi e
 nitmis vix novimus, filiolum tantum, non filium, sustulisse a junthunc Impe-
 rato-

ratores. Cæterum laudat quidem hunc numum *Catalogus Gothanus Numorum* ibidem venalium : capitis vero parvuli, quod forte tibi exesum, apud te satis conspicuum est, ille non meminit.

Catal. Gothan. de An. 1715. p. 176.

PUB. Subdidisti his geminis numis meis peregrinum denuo, sed pulcherrimum Fœcunditatis Augustæ præconem. *TULL.* Ita bellus argutusque is mihi visus est inter reliqua præclara medii ac minimi æris cimelia, a Cl. *Patino* ingenti numero vulgata, ut præterire eum non potuerim. Sacer olim fuerat *Julia*, conjugii *Sepim. Severi* Imperatoris: unde in *Adversa* Caput ejusdem cum nomine præ se fert. In *Aversa* humi residet fœmina semidiscincta, lævo cubito super calathum reclinis, five vas hortense, unde plantula quædam, jam flore nitens, paulo post fructu fœcundanda, excrescit: dextram super orbem stellis notatum extendit: quam puellæ quatuor parvulæ circumstant. Lemma est: FœCUNDITAS. Infra: S. C. Quis tibi, Optime Publi, de hoc numo est sensus? *PUB.* Reconditus certe est, nec aliunde, ut arbitror, quam e veterum Mythologia reposcendus. *TULL.* Facem imaginibus omnibus accendit sola vox *Fœcunditas*. In fœmina itaque humi confidente Tellurem, matrem omnium, contemplari licet: quæ ideo semidiscincta, ut aperto pectore matrem cognoscas, & parientem omnia, & promptis quoque uberibus nutrientem. Excrescens e calatho planta ipsius Fœcunditatis est index: Sphæra Mundum omnem, in quo illa se late undique exerit, designat. Stellæ adjectæ fœcundam astrorum virtutem indicant, qua in inferiora omnia influere assolent: uti & puellæ quatuor totidem anni tempora. E quibus ver florem tribuit, æstas fructum, autumnus maturitatem, hyems denique quietem, & novæ in futurum fertilitatis aptitudinem. Hactenus Mythologia.

Patin. Imp. p. 230. Tab. VI. N. XVII.

Jam porro, quid hæc ad *Juliam Augustam*, dispiciendum. Siquidem Imperio Augusto paret Mundus subjectus, Principes vero æque parum, atque res cæteræ omnes, vicissitudine exempti sunt: expedit in Mundo Politico non minus, quam in Naturali, Matrem existere fœcundam, e qua, cadentibus aliis, alia oriantur. Id porro Matres Augustæ feliciter præstare creduntur, si Principes pariant Juventutis, proles Regias. *Julia* itaque, duorum Cæsarum, *Caracallæ*, ac *Getæ*, nec non filiarum duarum Augustæ Matri, Romana adulatio *Tellurem* deam pro typo substituit. Per calathum, supra quem hæc recumbit, thorum *Julia* Augustum, non una, sed pluribus jam plantis fœcundum notabat. Sphæra imperium in-
nuit per orbem diffusum, hacque *Julia* Fœcunditate plurimum recrea-

tum, & nova veluti securitate fundatum. Stellæ, quæ in Sphæra coruscant, Augustæ Matri de Divina quodammodo propagine blandiuntur: ipsa namque veluti Dea habita, quos, nisi denuo Deos, parturiat? Deos, inquam, Divum festigia secuturos, & Imperio, ceu Mundo, præfuturos, postquam Patres sui, atque Avi, juxta lemma quorundam numerum, jam *Sideribus recepti* sunt. In puellis porro quatuor totidem Proles Augustæ, quibus *Julia* jam fœcunda erat, videntur expressæ, veluti Tutelares Imperii Dii: a quibus subditorum salus, ut ab anni temporibus Terræ fertilitas pendeat. Sic fere de hoc numo, quamvis laconice, sentit Cl. *Patinus*.

IX.

Tab. VI.
N. XVIII.

PUB. Elegantissimum profecto hoc schema est *Fœcunditatis Augustæ*: quam vero duo numi sequentes, planioribus quidem typis, sed diversis lemmatibus prædicant. Primum argenteum simul, & ex ære medio teneo, cum capite *Faustine* junioris, quæ *M. Aurelio* conjugii, profuturæ libidinis ergo, non tanto amori, quanto pudori fuit: tametsi ille, ignoranti similis, & fidem ei constantem, & omne officii genus, tum superstiti, tum defunctæ exhibuerit. *Aversa* Thalamum exhibet regium, & in ejus fronte sedentes, ac colludentes geminos infantulos. *Epigraphe*: SAECULI FELICITAS. Hujus quippe vadimonium hæc proles Reipublicæ præstare videbantur. *TULL.* Pingens hunc numum Cl. *Patinus*, mox alios duos ejusdem *Faustine* adjungit: in quorum prior stat mulier, ipsa forte Augustæ, utroque brachio infantulum alium gestans, binis insuper hinc & inde eidem ad pedes adstantibus, cum lemmate: FECUNDITAS. AUGUSTAE. Alter a priori nil differt, nisi quod duorum infantium loco quatuor omnino, unus altero adultior, matri gestientes assistant, cum epigraphe: TEMPORUM FELICITAS. Non uno, sed variis annis, excusos esse hos numos oportet, prolium numero semper crescente: quarum septem *Faustine* e *M. Aurelio* tribuuntur, nisi aliis patribus fuerint. Filii duo, *L. Verus Cæsar*, & *Antoninus Geminus*, virilem ætatem non attigerunt: tertius *Comodus* ineptissime post patrem imperavit: cæteræ filiæ erant. Modicam ergo hæc tanta *Fœcunditas Augustæ* attulerat, sive *Seculi*, sive *Temporum Felicitatem*. *Compati* proinde *Quiritibus* merito possis, cum in numis suis dexterrime fingendis felicissimo ingenio fuerint, pari tamen fati felicitate, argumentum numerum, ipsamque quod attinet Reipublicam, nequaquam fuisse.

Patin. Imp.
p. 199.

X.

PUB. Tametsi omnibus in Matribus, & Prolibus Augustis, quorumvis numerum omina, & nomina jucunda, fausta, felicia sefellissent: sequen-

sequentis tamen numi elegans elogium eximie impletum est : quo vere sancta fœmina, & Magni Constantini Mater, Diva Helena affecta fuit, Teneo hunc numum in ære parvo : cujus Antica hujus Matronæ piæ Tab. VI. vultu nitet, sic inscripta : FL.avia. HELENA AUG.usta, In Aversu N. XIX. stat fœmina, nisi ipsa sit Augusta, fere ad eam normam, qua alias in Spei cernimus imagine, vestem attollens, dextra vero lauri, aut oleæ ramusculum deorsum vergentem gestans. Epigraphe : SPES ET SECURITAS REIP.ublicæ. Florido hoc ramo Constantinum, summum illum & Maximum Augustum, Divæ hujus Matris filium, & quotquot ex eo pulularunt, Cæsares, designatos esse reor, vel accipi saltem posse existimo : quo in Filio, uti & Nepotibus, Mater, & Avia Helena felici Orbis Reipublicæ Spem genuit, quæ in rem felicissime transit, omine tam firmo, ut Securitas ipsa succederet. Victorem enim peperit, qui non ense dubio, sed crucis Dominicæ cœlesti virtute, de hostibus acerbissimis triumphavit ; & qui deinde eandem unicam salutis anchoram, prædecessoribus omnibus incognitam, in folio Augusto collocans, Spem Orbis, ad Christi sacra traducti, contra quosvis etiam impetus furentis stygis, invictam, immobilem, securam reddidit.

TULL. Affectui pio indulges : ast ii, qui hunc numum signarunt, XI. tanto lumine non erant, ut ad fidem respicerent. Ingens illa Constantin M. vel de solo Maxentio Tiranno Victoria, & reddita per eam Pax, quarum alterutram vel oleæ, vel lauri ramus denotat, sat evidens eisdem fuit Spei atque Securitatis argumentum. Nobis porro circa hunc numum tuum alia observanda veniunt. Peculiare imprimis est, scribi in eodem Spes & Securitas : cum duo ejusmodi elogia, quæ separata quidem multis in numis exstant, unico in numo conjuncta raro admodum occurrant. Est tibi numulus alius æris minimi ejusdem Helenæ, quem & Cl. Patinus vulgavit, typi prorsus ejusdem cum tuo, in quo ta- Patin. Imp. men solummodo legas : SECURITAS REIPUBLICÆ. Pinxit Vir idem p. 353. Clariss. tertium quoque numum, in cujus Adversa nomina ita habent : FL.avia. JUL.ia. HELENA AUG.usta. In Aversa stat fœmina cum ra- Id. ibid. mo, & hasta transversa, atque Epigraphe : PAX PUBLICA. En ite- p. 359- rum unum tantum elogium. Interim non sine exemplo factum esse tuo LiebeGoth. in numo, ut elogia duo conjungerentur, liquet e numis geminis ejusdem Num. p. 82 ævi, quorum meminit Cl. Liebe. Utrumque produxit Cl. Bandurius, est. 83. que unus maximi moduli, hinc cum Capite Constantini Magni inde cum ejus sedentis imagine, adstantibus sibi filiis Crispo & Constantino : alter minoris formæ cum capite Crispi, Aversa vero, ut ante, Epigraphe

phe utrobique eadem est : SALUS ET SPES REIPUBLICAE. Placuit ergo ea ætate, sic duplicare præconia.

XII. Jam porro Ill. *Spanhemium* audire nos fas est. Monet is primum, nulla ratione, vel autoritate niti, quod tamen Cl. *Harduinus* conjicere ausus est, nimirum *Divam Helenam* credi posse uxorem *Constantini Magni*. Quid namque clarius, ut alia omnia mittantur, hac concordia *Eusebii*, *Sozomeni*, & *Sulpitii Severi* sententia : Nam **HELENA MATER PRINCIPIS CONSTANTINI** : quæ **AUGUSTA** cum **FILIO** conregnabat. Fuit nimirum Conjux prima *Constantii Chlorig*, quem ex ea patrem habuit *Constantinus Magnus* : at vero a *Chloro* repudiari debuit, dum is ea conditione a *Maximiano Herculeo* Cæsar diceretur, ut hujus sive filiam duceret, sive privignam. Quare præconium *Augustæ* non obtigit *Divæ Helenæ*, quia uxor erat *Augusti Chlorig*, quod opinari placuit Cl. *Harduino* : sed a *Constantino* filio *Augusto* eidem, ut Matri suæ, indultum est, iterum scribente *Eusebio* disertis verbis : **CONSTANTINUS M. MATRI** concessit, ut **AUGUSTA** diceretur, & *Numus* (at vero non unius tantum formæ & moduli) ejus *Imaginem* signaretur. - - - Quas monetas *Communio Fidelium IN REBUS SANCTIORIBUS* olim servavit, propter *Pios* ejus mores, *Crucemque* repertam. Ulterius vero *Vir* idem *Illustrissimus* observat, duas præterea alias exstitisse *Helenas* : quarum una fuerit Uxor *Crispi* Cæsar, altera vero *Constantini M.* filia, & *impii* postea *Juliani Apostatæ* conjux. Harum quoque numos produxerunt viri docti : sed probe cavendum, ne, qui unius sunt *Helena*, alterius credantur. *Crispi* quidem Uxor *elogium Augustæ* in numis suis non fert : qui proinde certius internoscuntur. *Helena* vero *Juliani* æque, ac *Diva Constantini Mater*, jam **FL.avia. HELENA AUG.usta** : jam **FL. JUL.ia HELENA AUG.** subinde tamen **FL. HELENA MAXIMA** appellatur : quæ ultima epigraphæ inter *Helenam aviam*, & *Helenam neptem* securissime distinguit. Maxime vero vultuum diversitas crisin dabit : tametsi illo ævo, arte & industria jam plurimum collapsis, figurarum imaginumque fides oppido vacillet.

XIII. *PUB.* Quam lubrica sunt numerorum complurium vestigia, in quibus pedem satis cautum figere, maxime tironi, summe arduum. *TULL.* Excitare ista liberale tuum ingenium debent : cujus vis se nullibi majori cum laude, immo & voluptate, quam in pervadendis rebus difficillimis exerit. Restat porro ultimus nobis non modo *Tabulæ* hujus, sed & totius *Partis* præsentis numus, qui residuum adhuc, illudque non postre-

num Matrum Augustarum Officium laudat, *Pietatem* nempe in liberos. Mater non fit, quæ amare non novit. Hanc enim amoris legem natura scribit in cordibus: quæ sane humana non sunt, immo magis, quam in bestiis effera, si in liberos impia fuerint. Multum vero interest, *Pietatem* in Matribus quid appelles. Primum earum officium, nutrire, quod genuerunt, ut cum lacte & vires bibant, & virtutem parentis. Alterum, ita liberos instituere, ut, quantum crescunt ætate, tantum probitate adolescant. Tertium, Principibus pueris jugi exemplo amorem in subditos, immo patris affectum, tamdiu suadere, donec persuadeant. Hæc in liberos *Pietas* est, quæ Matrem Principem decet. Sed raræ nantes in gurgite vasto. Lac præbere fastidio est, duciturque pudori, Probitatis disciplinam studium vanitatis enervat. Paternum in subditos affectum vetat superbia. Miremur, sic cessante Matrum Augustarum *Pietate*, solium Augustum plures Tirannos, quam Principes occupasse? Tantum Reipublicæ interest, *Pias* esse suis Principibus Juventutis, & obtingere Matres: tantum in recessu habet descriptum in numis elogium *Pietatis*.

Tu illud legis in numo æreo medio *Plautillæ*, quæ conjux erat *Caracallæ*, sed *Dionis* testimonio, *femina impudentissima*. Non ergo, quam impendit, laudat hic numus, sed quam discere debuerat, prælegit ei *Pietatem*. Parte anteriori circa caput fœmineum legitur: PLAUTILLA AUGUSTA. Retro stat *Pietas*, aut ipsa Augusta, cum hasta, lævo brachio infantulum gestans, ubera petentem. *Epigraphe*: PIETAS AUGG.ustorum. Non ergo matris duntaxat, sed patris etiam *Pietas*, quæ utrique plurimum defuit, imploratur. Nisi *Plautillæ* caput hic adesset, arbitrari liceret, hunc numum spectare fratres Augustos *Caracallam* ac *Getam*. Cæterum de hujus fœminæ prolibus vetus historia undique fillet: hodie filius eidem Antoninus, unacum filia tribuitur: quo idoneo teste, non liquet. Id vero tanto certius constat, *Plautillam* a marito *Caracalla*, una cum fratre *Plauto* primum in Siciliam, deinde in insulam Liparam fuisse relegatam, & post longam summanque inopiam tandem omnino occisam. Numorum honorem ei non defuisse, evincunt sex numi, præter hunc tuum, a Cl. *Patino* vulgati: unus deinde maximorum e numero, quem Ill. *Spanhemius*, hinc cum oppositis utriusque conjugis capitibus, inde cum Veneris *Cnidix* imagine proposuit. Atque hæc posterior rectius certe *Plautillæ*, quam icon *Pietatis* congruebat.

XIV.

Tab. VI.
Num.XX.Patin.Imp.
p. 249.
Spanhem.
Tom. II.
p. 296.

PUB Moves, ut video, manum de Tabula, immo opusculo hoc toto, in cujus Tabulis senis Augustorum Gloriæ Politicæ mihi sane
Pars II. Cc spectā-

XV.

ſpectatum ſatis eſt, quod Comici veteres aiebant. Sed & Dialogi ſui ejuſmodi ſunt, ut Antiquitatem doceant multam, myſteria Numorum plurima retegant, ad omnigenam virtutem vehementer hortentur. Qui proinde ipſi ſibi ita plaudunt, ac tibi, ut e theatro exceſſurus, opus non habeas cum Terentio dicere: Plaudite. TULL. Arcis ego limitibus omnia concluſi: opto tamen, ut ampliora tibi Theatra ſe olim in Gazophilaciis regiis pandant. Tum vero mirabere: tunc Romam veluti poſtliminio fuſcitatum obſtupeſces. Ego interim nullum dicendi Epilogum aptiorem fecero, quam ſi cum gravi oratione concludam, qua olim Ill. Lomenius, Briennæ comes, in novam Urſini Familiarum recognitionem Patinianam præloqui hunc in modum dignatus eſt.

„ NUMISMATA Breviaria ſunt Antiquitatis: Fax hiſtoriæ:
 „ Supplementa priſcæ Fidei vacillantis, latebroſæ Lectionis Condimen-
 „ tum. Sed ſplendor illorum, & utilitas, præſertim inter admiranda
 „ æternæ Gentis ſe exerit: quia Urbis rerum Dominæ æquatur Maje-
 „ ſtati. Non ſolum Corpus, ſed cadaver etiam nos ſui admiratione
 „ percellit: ex ruderibus, & parietinis, ex ipſo nomine inani afflatur
 „ veneratio: injuria temporis deturbata, ſui cultum & horrorem ſpi-
 „ rant religioſum. Thermæ, Aquæductus, Amphitheatrales moles,
 „ Triumphales arcus teſtantur, vivere exſtinctis authoribus mori neſcia
 „ monumenta. Quotus quiſque tædia longæ viæ perfert, & emetitur
 „ immenſa ſpatia itinerum, cui licuit in aprico iſta perluſtrare? Quam
 „ ſuave, inter Muſei amœnitates attrectare elapſi ævi pignora, & cer-
 „ nere Romam Triumphantem? Non aliud fuit votum Antiftitis cele-
 „ berrimi (*videl. D. Auguſtini.*) Papyraceum æquor fluxus ſues habet,
 „ & refluxus: non omnia perumpunt, nec eunt chartæ in ſecula.
 „ Solum NUMISMA mortalitatem contemnit metalli perennitate. Quid-
 „ quid pagina multiplex, anxia, ſolicita refert, hoc docta manus
 „ ſculptoris exhibet: & juvat Pompeii & Bruti ora intueri. Quanta
 „ lux illorum actis ex illa inſpectione? ita feriunt oculos ſimulacra,
 „ ut menti æternum inſideant, quos referunt, ſpecies. Hic fileat
 „ grex imperitus, in iudicia præceps: & parcat ea flocci
 „ facere, ad quæ caligat.






INDEX PRIOR

EORUM,

Quorum Numi in hac Parte II. pinguntur,
exponuntur, allegantur.

NB.

T. I. i. v. g. designat, Numum pingi *Tabula prima, forulo primo*: D. I. i. Eundem exponi, vel allegari *Dialo go primo, numero marginis primo*.

A.

Aelii Cæsaris numus cum imaginibus Felicitatis, & Spei. T. I. 20. D. III. 13.

Alabandensium numus, hinc cum capitebus *Augusti & Livie*: vide *Agrippæ*, ac filiorum *Caii & Lucii* D. VII. 9.

Alexandri Severi numus cum imagine Felicitatis & inscriptione vitiosa: *PTMRPCOS*. D. III. 7.

— Cum imagine Spei. T. I. 19. D. III. 12.

— Cum suo, & *Mameæ*, Matris capite, inde cum 4. figuris, & lemmate: *Felicitas Temporum*. T. III. 14. D. IX. 7. 8. 9.

— Cum imagine *Annonæ*, & lemmate: *Providentia Augusti*. T. IV. 3. D. XII. 2.

— Cum suggestu & lemmate: *Libertas Aug. IIII*. T. IV. 15. D. XIII. 7.

Ancyranorum numus cum femina *Anchoram* gestante. D. III. 14.

Antonini Pii numus Græcus cum *Aquila* super orbem. T. I. 4. D. II. 5.

— Cum *Capricorno*. D. II. 13.

— Cum imagine *Felicitatis*. T. I. 9. D. III. 2.

— Cum imagine *Felicitatis* alia. T. I. 12. D. III. 4.

Antonini Cum lemmate: *Pietati Senat.* D. IV. 13.

— Cum lemmate: *Annona Augusti* T. IV. 2. D. XII. 2.

— Cum lemmate: *Ceres Augusta*. T. IV. 6. D. XII. 4.

— Cum imagine *Ægypti fertilis*, & lemmate: *ΕΥΘΗΝΙΑ*. T. IV. 10. D. XII. 8.

— Cum *Abundantia cornucopiæ* effundente, & lemmate: *Lib. IIII*. T. IV. 19. D. XIV. 5.

— Cum lemmate: *Libertas*. D. XXII. I.

Antonii Luc. Consulis numus cum cognomine: *Pietas*. T. I. 4. D. IV. 10.

Augusti numus cum *Orbe*, & gubernaculo, a *Nerva* restitutus. T. I. 2. D. II. 4.

— Cum tribus *Orbiculis*, quibus inscriptum: *Eur. Asi. Asi.* a *M. Cocceo Nerva Triumv.* signatus. T. I. 3. D. II. 5.

— Cum *Capricorno*. T. I. 6. D. II. 9.

— Cum *Capricorno*, & lemmate: *Sigis receptis*. D. II. 11.

— Cum *Capricorno*, & *Tricure* *Siciliæ*. T. I. 7. D. II. 12.

— Cum *Ænea Anchisen* portante cufus a *Segestanis*. T. II. 5. D. IV. 11.

INDEX PRIOR.

- Augusti* Subleſtus cum lem. *Festina lente*.
D. V. 7.
- Cum imaginibus *Caii & Lucii Cæſarum* Principum Juvent. T. III. I. D. VII. 7.
 - Cum Leone cervum ſuffocante, ſignatus a *M. Durmio* Triumviro. D. XVI. 5.
 - Cum Columna, in qua Ludi ſeculares notati, ſignatus a *L. Meſſenio Rufo*. T. V. 10. D. XVII. 8. 9. &c.
 - Cum Columna *Vias Munitas* laudante, ſignatus a *L. Vinicio*. T. VI. I. D. XX. 2.
 - Cum lem. *Indulgentia Auguſti Moneta Impetrata*. D. XXII. 10.
 - Cum lem. *Libertatis R. P. Vindex*. D. XXII. 4.
 - Cum imagine *Veneris Viſtricis*. D. XXIII. 8.
- Aureliani* numus cum multis titulis, & lem. *Concordia Aug.* D. IX. 6.
- Cum *Severina* conjuge dextram jungentis, & lem. *Concordia Auguſta*. T. VI. 16. D. XXIV. 6.
- M. Aurelii* numus cum imagine *Honoris*, & vitioſo lem. *DES NOS*. D. IV. 5.
- Cum vero lem. *HONOS*. D. IV. 5.
 - Cum lem. *Concordia Augg.* ubi ipſe & *Verus* dextras jungunt. T. III. 12. D. IX. 4.
 - Cum imagine *Concordiæ*, & lem. *Concordiæ Aug.* T. III. 13. D. IX. 4.
 - Cum alio typo, ſed eodem lemmate. D. IX. 6.
- B.
- Buccæ L. Æmilii* Triumv. Numus cum Symbolis felicis Imperii, *Julio Cæſari* cuſus. T. I. 5. D. II. 7.
- C.
- Caii Calig.* Numus cum Statuis *Equeſtribus Neronis*, & *Drufi*, *Cæſarum*. T. III. 3. D. VII. 12. 14.
- Cum *Pileo*, & R. CC. T. V. 3. D. XV. 2.
- Caracallæ* Numus cum lemm. *Armonia Aug. Sæculi Feliciffimi*. D. XII. 10.
- Cum integro *Venationis* apparatu, ubi belluæ invicem pugnant, cum lemm. *Latitia Tempo um*. D. XIX. 9.
- Cari* Numus cum lemm. *Ubertas*. D. XII. 5.
- Cum *Mercurio* & lemm. *Pietas Auguſtor.* D. XIII. 3.
- Carini* Numus cum lemm. *Principi Juventutis*. D. VII. 8.
- Cum eodem lemmate, ſed alio typo. D. VIII. 10.
- Cæſiæ* gentis Numus cum nomine: *Libertas*. D. XXII. 3.
- Cum lemm. *Libertas P. R. Reſtit.*
- Cilbianorum Niceenſium* Numus cum oppoſitis *Capitibus Caii & Lucii* filiorum *Agrippæ*, inde cum *Venere*, aut *Matre* eorum *Julia* ſtante. D. VII. 9.
- Claudii* Numus cum imagine *Conſtantiæ*. T. II. 20. D. 6. 12.
- Cum imagine *Libertatis*. T. 6. 7. D. XXII. 1.
- Commodi* Numus cum lemm. *Pietati Senatus*. D. IV. 13.
- Græcus cum *Providentiæ* imagine & lemm. *ΠΠΟΝΟΙΑ*. D. V. 6.
 - Cum elogio *Principis Juventutis*. T. III. 8. D. VIII. 5.
 - Numus maxim. cum ſuo & *Criſpinæ* Conjugis capite: inde cum *Veſtali*, utriuſque dextram in ſædus *Nuptiale* conjungente. Lemm. *Vota Publica*. T. VI. 9. D. XXIII. 2.
- Conſtantii Chlorigi* Numus cum lemm. *Principi Juventutis*. D. VIII. 5.
- Cum lemm. *Sacra Moneta Augg. & Cæſ. Noſtr.* D. XXII. 8.
- Conſtantiſ* fil. *Conſt. M.* Numus, in quo *Regi* dona largiri videtur. cum lemm. *Largitio*. T. IV. 20. D. XIV. 6. 7.
- Conſtantini M.* Numus cum 1 mm. *Sapientia Principis*. T. II. 13. D. V. 9.
- Cum lemm. *Principi Juventutis*. T. III. 2. D. VIII. 11.

INDEX PRIOR.

- Constantini* cum imagine sua sedente, adstantibus filiis Crispo & Constantino, ac lemm. *Salus & Spes Reipublicæ*. D. XXIV. 11.
- Jun. Numus cum lemm. *Sapientia Principis Providentissimi*. D. V. 10.
- Cum Annonaria Domo, aut rectius cum Castris Prætoriiis, & lemm. *Providentiæ Cæsarum*. T. IV. 4. D. XII. 3.
- Constantis* Numus Max. inde stantis cum Patre Constantino M. & Fratribus Constantino jun. ac Constantio, & lemm. *Securitas Perpetua*. T. III. 16. D. X. 1. 2.
- Crispi* Cæs. Numus cum lemm. *Principi Juventutis*. D. VIII. 10.
- Alter, ubi ipse cum fratre Constantino adstat sedenti patri, cum lemm. *Salus & Spes Reipublicæ*. D. XXIV. 11,
- D.
- Decii Traiani* Numus cum lemm. *Veritas pro Uberitas*. D. XII.
- Diadumeniani* Cæs. Numus cum elogio *Principis Juventutis*. D. VIII. 8.
- Diocletiani* Numus cum lemm. *Sacra Moneta Aug. & Cæs. Nostr.* D. XXII. 8.
- Domitiani* Numus cum Delphino Anchoræ implexo. T. II. 12. D. V. 7.
- Cum Capricornæ. D. II. 13.
- Cum Galea cristata, & lemm. *Principi Juvent.* T. III. 6. D. VIII. 2.
- Plures cum eodem lemmate, sed variis typis. D. VIII. 2.
- Cum lemm. *Lud. Sac. a Pop. Frug. Ac.* T. IV. 17. D. XIV. 2.
- Cum lemm. *Lud. Sac. F.* T. V. 14. D. XIX. 1. 2.
- Domitilla* Numus cum lemm. *Pietas Augusta*. T. II. 8. D. IV. 14.
- Drusi* major Neronis Claudii Numus cum elogio *Principis Juventutis*. T. III. 2. D. VII. 10.
- Græcus cum titulo Cæsaris. D. VII. 11.
- Durmi* Marc. Triumv. Numus cum Capite Augusti Leone cervum suffocante. D. XVI. 5.
- E.
- Elagabali* Numus cum lemm. *Libertas Publica*. T. V. 20. D. XIX. 12.
- F.
- Fauslina* Senior. Numus cum lemm. *Puellæ Faustiniæ*. D. XIV. 11.
- Cum eodem lemmate, sed alio typo. T. V. 2. D. XIV. 11.
- Cum lemm. *Junoni Reginae*. T. VI. 10. D. XXIII. 4.
- Fauslina* Jun. Numus cum lemm. *Veneri Victrici*. T. VI. 12. D. XXIII. 8.
- Cum thalamo & duobus infantulis, ac lemm. *Seculi Felicitas*. T. VI. 18. D. XXIV. 9.
- Cum 4. parvulis, & lemm. *Fecundit. Aug.* D. XXIV. 9.
- Cum 6. liberis, & lemm. *Tempor. Felic.* D. XXIV. 9.
- G.
- Galbæ* Numus cum imagine *Virtutis*. T. II. D. IV. 2.
- Cum lemm. *Senatus Pietati Augusti*. T. II. 7. D. IV. 13.
- Cum lemm. *Concordia Provinciarum*. T. III. 17. D. X. 5.
- Cum lemm. *Gallia Hispania*. T. III. 18. D. X. 5.
- Cum dextris commissis, spicas tenentibus, & *L. Canin. Agrippa II. vir. Cor.* T. III. 19. D. X. 7.
- Galbæ* Numus cum signis *Legionis XXII. signatus a Colon. Aroë Aug. Patrensi*. D. X. 9.
- Cum: *Libertas XL. R. D. XV. 6.*
- Cum: *Roma. R. XL. D. XV. 6.*
- Cum Arcu gemino, &: *XXXX. REMISSA. D. XV. 6.*
- Cum Arcu simplici, &: *Quadragesima Remissa. T. V. 4. D. XV. 6.*

INDEX PRIOR.

- Gallieni Numus cum Mercurio, & Dona Aug.* D. XIII. 3.
 — Cum lemm. *Gallienum Aug. P. R. ob Libert. Recep.* D. XXII. 6.
Geta Numus, in quo equitat ipse cum duobus comitibus. Lemm. *Principi Juventutis.* T. III. 7. D. VIII. 3.
 — Idem Eques cum 4. Comitibus. D. VIII. 3.
 — Idem pedes: *Principi Juventutis.* D. VIII. 7.
Gordiani Nepot. Numus cum lemm. Seculi Felicitas. T. I. 14. D. III. 6.
 — Cum lemm. *Felicitas Publica.* T. I. 15. D. III. 6.
 — Cum imagine Virtutis. T. II. 2. D. IV. 3.
 — Cum imagine Æquitatis. T. II. 16. D. VI. 5.
 — Cum lemm. *Liberalitatis Augusti.* T. IV. 5. D. XII. 4.
 — Cum Amphitheatro, &: *Munificentia Gordiani Aug.* T. V. 16. D. XIX. 5.

H.

- Hadriani Numus cum Capricorno.* D. II. 13.
 — Cum imagine Æquitatis. T. II. 15. D. VI. 5.
 — Cum lemm. *Ubertas Augusti.* T. IV. 7. D. XII. 5.
 — Cum lemm. *Ubertas.* D. XII. 6.
 — Cum suggestu, e quo Donativum militibus præbet, cum lemm. *Liberal. Aug.* D. XIV. 4.
 — Cum lemm. *Reliqua Venera HS. Novies Mill. Abolita.* T. V. 5. D. XV. 11.
 — Cum suggestu, & lemm. *Locupletatori Orbis Terrarum.* T. V. 6. XV. 12.
 — Cum lemm. *Hilaritas Pop. Rom.* T. V. 19. D. XIX. 12.
 — Cum lemm. *Libertas Publica.* D. XXII. 1.
 — Cum lemm. *Moneta Aug.* D. XXII. 8.

- D. Helena Matris Constantini M. Numus cum lemmate: Securitas Reipublice.* D. XXIV. 11.
 — Cum lemm. *Spes & Securitas Reip.* T. VI. 19. D. XXXIV. 10. 11.
Herennii Etrusci Numus cum Mercurio, & lemm. Pietas Augg. D. XIII. 4.
Herennia Etruscillæ Numus cum lemm. Pudicitia Augusta. D. XXIV. 3.

I.

- Juliani Apostata Numus cum elogio Principis Juventutis.* D. VIII. 12.
Julia Conjug. Septim. Severi Numus cum templo Vestæ, & sacrificio, cui assistunt 4. Figuræ. Lemna: Vesta. T. VI. 13. D. XXIV. 2.
 — Cum 6. Figuris, & lemm. *Vesta Mater.* D. XXIV. 2.
 — Cum imagine Telluris Deæ, & 4. anni temporibus, ac lemm. *Fœcunditas.* T. VI. 17. D. XXIV. 7.
Julia Paula cum Capricorno, cufus ab Anazarbenfibus. D. II. 12.
 — Cum lemm. *Concordia Augg.* T. VI. 15. D. XXIV. 5.
Julia Soëmiadis Numus cum lemm. Venus Cælestis. T. VI. 11. D. XXIII. 6.
 — Cum alia imagine, sedeodem lemm. D. XXIII. 6.
Julii Cæsaris Numus cum symbolis felicis Imperii, signatus per L. Æmil. Bucam. T. I. 5. D. II. 7.
Junia Gentis Numus cum nomine: Libertas. D. XXII. 3.

L.

- Livineii Luc. Numus Venationem exhibens, cum Bestiariis & Bestiis.* T. V. 9. D. XVII. 6. 7.
 — Cum uno tantum tauro. D. XVII. 7.

M.

- Magnæ Urbicæ Numus cum lemm. Venus Vistrix.* D. XXIII. 8.
 — Cum lemm. *Pudicitia Augustæ.* D. XXIV. 4.

INDEX PRIOR.

- Mansæ* Numus cum lemmate: *Felicitas Perpetua*. T. III. 15. D. IX. 10. 11.
Marcia Gentis Numus cum: *Aqua Marc.* D. XXI. 10.
Mariniana Numus cum lemm. *Felicitas Deorum*. D. III. 9.
Maxentii Numus cum lemm. *Æterna Felicitas Augusti & Imperii*. D. III. 9.
Maximiani Herculei Numus cum lemm. *Providentia Deorum Quies Augustorum*. D. V. 3.
 — Cum lemm. *Sacra Moneta Augg. & Cæs. Nostr.* D. XXII. 8.
Maximiani Galerii cum elogio Principis Juventutis. D. VIII. 5.
 — Cum lemm. *Sacra Monet. Urb. Augg. & Cæs. NN.* D. XXII. 10.
Mesimii L. Rufi Triumv. Numus, hinc cum Capite Augusti, inde cum Columna, ubi descripti Ludi seculares. T. V. 10. D. XVII. 8.

N.

- Neronis* Numus græcus cum Epigraphe: ΤΩ ΣΩΤΗΡΙ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ. D. II. 6.
 — Cum lemm. *Securitas Aug.* T. I. 17. D. III. 10.
 — Græcus cum lemm. ΟΜΟΝΟΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. D. IX. 6.
 — Cum *Annona*, & *Cerere*. D. XII. 6.
 — Cum lemm. *Decursio* T. V. 11. D. XVIII. 1.
 — Græco-Latinus cum: ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ & ΝΕΡΩΝΟC. D. XVIII. 3.
Neronis Numus cum lemm. *Ceptam Quinq. Rom. Const.* T. V. 9. D. XVIII. 5. &c.
 — Cum lemm. *Augusti Por. Ost.* T. VI. 3. D. XX. 5-8.
Nervæ Numus cum lemm. *Plebei Urbane Frument Constituto*. T. IV. I. D. XII. 1.
 — Cum lemm. *Vehiculatione Italiæ Remissa*. T. V. 7. D. XVI. 4.

- Nervæ* cum lemm. *Fisci Judaici Columnia sublata*. T. V. 8. D. XVI. 5.
Nervæ M. Coccei Triumviri Numus Augusto casus cum tribus orbiculis, quibus inscripsum: *Eur. Afr. Afr.* T. I. 3. D. II. 5.
Numeriani Numus cum elogio Principis Juventutis. D. VIII. 10.
Numi variorum cum lemmatibus: *Restor orbis: Restitutor orbis: Servator orbis*. D. II. 6.
Numus hinc cum S. P. Q. R. inde cum: *Pax & libertas*. Seu græce ΕΙΡΗΝΗ & ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ. D. XXII. 6.

O.

- Otaciliæ* Severæ Numus cum lemm; *Milliarium Saculum Cos.* III. T. V. 18. D. XIX. 11.

P.

- Philippi Senior.* Numus cum eleganti suggestu & lemm. *Liberalitas Augg.* T. IV. 16. D. XIII. 8.
Philippi Junior. Numus cum elogio Principis Juventutis T. III. 9. D. VIII. 8.
 — Cum alio typo, sed elogio eodem. D. VIII. 10.
 — Cum lemm. *Liberalitas Aug. III.* T. IV. 11. D. XIII. 2.
Philipporum varii numi cusi pro Milliario Seculo. D. XIX. 11.
Plethoriæ Gentis Numus cum lemmate: *Libertas P. R. Restituta*. D. XXII. 3.
Plautille Numus cum lemm. *Pietas Augg.* T. VI. 20. D. XXIV. 14.
 — Numus maximus cum capite suo, & mariti Caracallæ, ac Venere Cnidia. D. XXIV. 15.
Pompei Sexti Numus cum fratribus Catinensibus, & Epigr. *Pref. Class. & Oræ Marit. ex S. C.* T. II. 6. D. IV. 12.
Postumi patris Numus cum *Victoria*, & lemm. *Quinquennales Postumi Aug.* T. V. 13. D. XVIII. 8.

Probi

INDEX PRIOR.

- Probi* cum lemm. *Providentia Aug.* T. II. II. D. V. 4.
 — cum Mercurio & lemmate *Pietas Augg.* T. IV. 12. D. XIII. 3.
 — Maximus cum suo & Conjugis vultu, ac tribus Monetis, & lemm. *Moneta Aug.* T. VI. 8. D. XXII. 8.
Pupieni Numus cum Balbino dextram jungentis, ac lemm. *Pietas Mutua Aug.* D. IV. 13.
 — Cum dextris commissis, & lemm. *Amor Mutuus Augg.* D. IV. 13.

S.

- Segefanorum* Numus cum Ænea Anchifen portante. T. II. 5. D. IV. II.
Severi Septim. Numus cum suggestu, e quo dona tribuit, cum lemm. *Felicitas sæculi.* T. IV. 13. D. XII. 5.
 — Cum Mercurio Gallorum, & lem. SÆCULO FRUGIFERO. D. XII. 9.
 — Cum lemm. *Annona æterna.* D. XII. 10.
 — Cum Hercule & Baccho, & lemm. *Dis auspicius.* D. XIX. 3.
 — Cum eodem fere typo, sed addita columna, in qua descripti: *Lud. Sæcul.* T. V. 15. D. XIX. 3.
 — Cum Elephante loricato & lemm. *Munificentia Aug.* T. V. 17. D. XIX. 7.
 — Cum integro Venationis apparatu. D. XX. 9.
 — Cum Portu Cæsareæ Palestinæ. D. XX. II.
 — Cum lemm. *Moneta Augg.* D. XXII. 8.
 — Cum lemm. *Restitutor Monetæ.* D. XXII. 10.
Siculorum Numus cum Capricorno, Augusto cufus. T. I. 7. D. II. 12.


T.

- Taciti* Numus cum lemmate: *Providentia* Tom. II. 10. D. V. 4.
Theodora Flav. Maximianæ Numus cum lemm. *Pietas Romana.* T. II. 9. D. IV. 15.

- Tiberii* Numus cum Orbe, & Gubernaculo. T. I. I. D. II. 4.
 — Cum capite fœmineo, & lemm. *Justitia.* T. II. 14. D. VI. 3.
 — Cum bilance, & epigr. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΠΥΘΟΔΩΠΙΕΚΟΤΥΘΣ. D. VI. 4.
 — Cum scuto, & lemm. *Clementia.* T. II. 18. D. VI. 9.
 — Cum scuto alio, & lemm. *Moderationi.* I. II. 19. D. VI. II.
 — Cum capitibus *Neronis* ac *Drusi Cæsarum*, signatus a Colon. Vistr. Jul. Nova Carthagine. D. VII. 14.
 — Cum lemm. *Civitatibus Asia restitutis.* T. VI. 2. D. XX. 4.
Titi Numus cum imagine Felicitatis. T. I. 13. D. III. 5.
 — Cum Caduceo inter gemina Cornu copiarum. T. I. 16. D. III. 8.
 — Cum lemm. *Pietas Augusta.* T. II. 8. D. IV. 14.
 — Cum lemm. *Congiarium Primum P. R. Datum.* D. XII. 6.
 — Cum lemm. *Cong. Ter. P. R. Dat.* T. IV. 14. D. XIII. 6.
 — Cum Meta sudante. D. XXI. 12.
Traiani Numus cum lemm. *Veritas.* D. XII. 5.
 — Cum Abundantiæ imagine. D. XII. 5.
 — Cum lemm. *Annona Aug. Ceres.* T. IV. 8. D. XII. 6.
 — Cum lemm. *Abundantia Aug.* D. XII. 7.
 — Cum lemm. *Abundantia Perpetua. P. P.* D. XII. 7.
 — Cum lemm. *Alim. Ital.* T. V. I. D. XIV. 9.
 — Numus cum eodem lemm. sed alio typo. D. XIV. 9.
 — Rursus cum alio typo. D. XIV. 9.
 — Cum Portu Anconitano. T. VI. 4. D. XX. 9.
 — Cum alio Portu, & lemm. *Portus Trajani.* D. XX. II.
 — Cum lemmate: *Via Trajana.* T. VI. 5. D. XXI. 2.
 — Cum lemm. *Aqua Trajana.* T. VI. 6. D. XXI. 9.

INDEX PRIOR.

- V.*
- Valeriani junior.* Numus cum elogio Princ. Juvent. T. III. 10. D. VIII. 10.
- Veri L.* Numus M. Aurelio dextram jungentis cum lemm. *Concord. Augg.* D. IX. 4.
- Cum græco lemm. OMONOIA ΣΕΒΑΣΤΩΝ. D. IX. 6.
- Vespasiani* Numus cum gemino Capricorno. T. I. 8. D. II. 13.
- Cum imagine Felicitatis. T. I. 10. D. III. 3.
- Cum alio Felicitatis typo. T. I. 11. D. III. 3.
- Cum imagine æquitatis. Dial. VI. 5.
- Cum filiis confidentibus & elogio Principum Juventutis. T. III. 5. D. VIII. 1.
- Veri* Cum filiis Equitibus, & lemm. *Principes Juventutis.* T. III. 4. D. VIII. 1.
- Cum lemm. *Adfertori Libertatis Publicæ.* D. XXII. 6.
- Vinicii* Luc. Numus Augustus signatus. T. VI. 1. D. XX. 2.
- Vitellii* Numus cum lemm. *Securitas P. Romani:* & imagine Securitatis. T. I. 18. D. III. 11.
- Cum lemm. *Honos & Virtus* T. II. 3. D. IV. 4.
- Cum imagine Clementiæ. T. II. 17. D. VI. 8.



INDEX ALTER RERUM NOTABILIUM.

Numerus Romanus Dialogum, Arabicus
Marginalem designat.

A.

- A*ccerra in manu Pietatis cultum Dei designat. IV. 10.
- Acestes* sive Eggestus. Segestam condidit. IV. 11. Idem, vel unus e posteris, Siciliæ Rex Æneam hospitio excepit. VIII. 4.
- Ædiles* Cereales: quod eorum munus. XI. 5.
- Ægyptus* mire fertilis Nili sui beneficio, alebat Romam. Quantum frumenti Romanis pendere quotannis debuerit. XII. 7. 8.
- Ælius* Cæsar brevitate vitæ spem Hadriani, & Reipublicæ lussit. III. 13.
- Æneas* Anchisen portans patrem suum, Imago Pietatis in suos. IV. 11. Patri defuncto apud Acestem Siciliæ Regem Ludos anniversarios fecit. VIII. 4.
- Æquitas* in quo differat a Justitia: est nimirum ejus exercitium, & usus. Ejusdem imagines. VI. 5. 6. Imaginula æquitatis in manu Cereris. XII. 6.
- Ævarium* Principi necessarium: fortunas tamen omnes civium absorbere non debet. XV. 1.
- Ætna* Siciliæ Mons ignem eructans. IV. 12.
- Agrippæ* Marco Theogenes Astrologus felicia omnia prælagit. II. 8.
- Alexandri Severi* laus. III. 13. Matrem

INDEX ALTER.

- Mamæam* unice coluit. Ejus Conjunctio altera *Memmia* fuit. Erat maxime civilis. Pulchræ acclamationes ei factæ in æde concordiæ. IX. 8. Perfas magnifice vincit. Non recepit nomina, vel *Antonini*, vel *Magni*, sibi acclamata a Senatu: inde Constantiæ laudem tulit: uti & a constantissime repressa militum licentia *Severus* appellatus est. ib. 9. Felix Imperium sub eo. II. Annonam largiter dedit. XII. 2. A militibus indigne occisus. XIII. 7. In honorem matris Puellas *Mamæanas* instituit. XIV. 10.
- Alimentatio* Parvulorum peculiare, & insignis Beneficentiæ Augustæ genus. Alimentorum nomine quid proprie acciperent veteres. XI. 9. XIV. 8. 11.
- Amicitia* optima vitæ possessio. Concordiam parit. IX. 1. Amici quoniam probandi. ib. Quomodo parandi. X. 3.
- Amuffis* videtur esse in manu Virtutis: non, ut vulgo volunt, *Parazonium*. IV. 2.
- Anazarbus* Amanicæ Ciliciæ metropolis, ab Augusto instaurata, & dicta *Cæsar*. - Augusta, hujus beneficii memoriam conservavit per tyrum capricorni sideris Augusti. II. 12.
- Anchora*, cum qua spes hodie pingitur, in numis ei non tribuitur. Cernitur in numo *Ancyranorum*, a cujus conditore primum reperta fuisse scribitur. Item in numis Syriæ Regum ob *Seleuci* memoriam. III. 14.
- Aconitanus* Portus in numo Trajani: cujus Arcus hodie adhuc *Anconæ* visitur. XX. 10.
- Ancyra* Metropolis Galatiæ. III. 14.
- Animalia* peregrina populo exhibita in Ludis Millenarii sæculi occurrunt in numis Philipporum. XIX. 11.
- Anni* Tempora puellis quatuor designata. XXIV. 7.
- Annona* caritas Romæ facile accedit. De ea *Populo* necessario providendum fuit. Id factum per Præfectos *Annonæ*, *Ædiles cereales*, *Curatores Frumenti*, & *Minuciæ*, *Frumentarios*. XI. 2. 8. *Annona* quid nominis, & rei? Ejus imagines, *Annona Civica*, & *Urbanæ Canon* dicebantur frumenta in plebem gratis dispensata. Præfecti *Annonæ* posterioribus sæculis dicebantur *Comites sacrarum Largitionum*. XII. 2. seqq.
- Antianus* Portus. XX. 6.
- Antoninus Pius* Republicam felicissimam reddidit, fere semper cogitus. III. 2. 4. *Annonam* *Populo* diligenter distribuit. XII. 2. Ejus liberalitas octava in numis prædicatur. XIII. 7. In honorem Conjugis *Faustinae* senioris aluit Puellas dictas *Faustinianas*. XIV. 10. Debita vetera subditis dimisit. XV. 9.
- M. Antonius* Triumvir Græcis Asiaticis duro imperio imposuit, ut novem annorum Debita relicta illico exolverent XV. 9. Ejus frater *L. Antonius* dictus est *Pietas*. IV. 10.
- Apes* mellificarunt in ore Jovis. Rex earum sine aculeo: quæ sunt clementiæ Augustæ documenta. VI. 7.
- Appia* Via. Vide Via *Appia*.
- Apollo*, sive *Sol*, in Ludis secularibus præcipue cultus primitiis frugum, quia *Diei* præest, & terram fecundat. XIV. 3. Ejus imago videtur occurrere in numo quodam *Neronis*. XX. 6.
- Aqueductus* ad Opera publica, & curam Principum, atque Beneficentiam augustam attinet. XX. 3. *Aquæductibus*, *Viis* stratis, & cloacis Imperii Romani magnificentia maxime apparuit. *Aquæ ductus* quando Romæ cœperint. *Aquæ deductus* triplex modus. Sancte cautum, ne canales privati *aquæductibus* publicis officerent. XXI. 8. *Aqua* olim vestigialis. *Aqua caduca* quæ? item *capitolina*. *Aqua Marcæ* Romæ nobilissima, in-

INDEX ALTER.

- inducta a Q. Marcio, cui cognomen Rex. Aqua ductibus variis unde nomina sua? Sub Augusto erant septem: usque ad Trajanum duo additi. *ibid.* 9. 10.
- Aquila* Rex avium Imperii Symbolum. II. 5.
- Ara* Religionis symbolum, vel index votorum nuncupatorum, aut solutorum. III. 6. Accensa index sacrorum VIII. 2.
- Aristocratia* quid? I. 2.
- Arbe* Augusta Patrensis Colonia. X. 9.
- Artaxerxes* Persarum Rex dextra fœdus stipil re noluit. X. 9.
- Atheniense* Legum severitas nulli delicto spem veniæ reliquit. VI. 8.
- Audaces* olim appellati, qui in Venatione cruenta se ultro, animi experienti, & gloriæ referendæ causa, obtulerunt ad pugnandum cum bestiiis: homines detestabiles Jcto. XVII. 5.
- Averse* Numorum ob imaginum infinitam varietatem Theatra jucundissima. I. 1.
- Augustis* suis Principibus sic olim Roma adulabatur, ut nihil Deorum honoribus relinqueret, quod non & illis adiceret, Tempa, Aras, Ludos &c. XVIII. 10. Augusto uni debita elogia, præmia, monumenta, dum is subito decederet, successori subinde impensa. XX. 8. Multi Augustorum bonam voluntatem in Rempublicam aut subdole solum præsentulerunt, aut mox abjecerunt. XXII. 5. *Vide* Princeps.
- Augustarum* in Numis Majestas & Pulchritudo, recto Deorum schemate involvitur: aut Pudicitia, Concordia, Fœcunditatis, & Pietatis in Liberos nomina, tanquam propria femininum decora, diserte adscribuntur: quia nimirum haud alia lex in folio, quam privato in thoro. XXIII. 1.
- Augustus* Cæsar rerum potitus, Provincias cum Senatu divisit. II. 5. Statua sua orbi terrarum insidens a Senatu oblata. 6. Anazarbum Amanica Ciliciæ metropolim instauravit, exinde dictam, Cæsar-Augustam. 12. Præfeti annonæ munus suscepit. XI. 4. In donis dispensandis quam incredibilis ejus magnificentia. 7. Prudentia, & constantia animi adversus plebis insolentiam in postulanda annona, vel donis. 8. Parvulos ad frumenti distributionem admisit. Numerum recipientium frumentum a 150. millibus ad 200. millia extendit. XIV. 8. Tabulas veterum ærarii debitorum publico in foro exussit. XV. 8.
- An fuerit Quindecim vir sacrorum faciendorum? XVII. 8. Ludos seculares restituit, ratione temporum diligentissime subducta. In his, aliisque Ludis, honestati juvenum consuluit. XVII. 11.
- Viam Flaminiam ex ea pecunia munivit, quæ ipsi accessit e manubii, & quam ad ærarium detulerat. Alias vias per alios refici curavit, ex simili manubiali pecunia: quo pacto plebem his sumtibus levavit. Unde Statuam promeruit ante portam Ariminensem, quo pergebat Via Flaminia, & arcum in ponte Tiberis. XX. 3.
- Bona ejus in rempublicam voluntas, quam edicto publicavit, effecit, ut Libertatis P. R. vindex prædicaretur. XX. II. 4.
- Aurelianus* subditis vetera debita remisit. XV. 9.
- M. Aurelius* cum L. Vero commune imperium gessit summa concordia, aliqua tamen ratione ei superior. IX. 3. In honorem Conjugis Faustinae jun. Puellas Faustinianas juniores instituit: item jam antea alias cum L. vero in honorem Lucilla. XIV. 10. Ne tributis oneraret subditos auctorem

INDEX ALTER.

nem fecit ornamentorum imperia-
lium, & Conjugis suæ mundum mu-
liebrem vendidit, XV. 1. Subditis
Debita vetera 46. annorum remi-
sit. 9.

B.

Bacchi imago: qui Indos domuit. XIV.

3. 4.

Barba Adolescentibus Romanis nutri-
enda fuit usque ad annum ætatis vi-
gesimum secundum. Tum solenni-
ter ponebatur, & uni Deorum ob-
lata est. Juvenes interdicebantur
Barbati. XVIII. 7.

Bellides seu Danaës sorores ob inter-
fectos maritos qua pœna apud in-
feros plectantur. IV. 8.

Beneficentia multiplex Romæ summis
Principibus unice necessaria erat:
quibus de causis. XI. 1. &c. Ejus
genera varia, ut Frumentatio, Con-
giarium, Donativum, Alimenta-
tio &c. occurrent sub propriis ti-
tulis.

Benefici in plurimos pauperes laus.
XI. 1.

Bestiarii quinam Romæ dicti? XVII. 5.

Bilax Justitiæ, & æquitatis symbo-
lum. VI. 4. 6. In manu etiam Mo-
netæ comparet. XXII. 9.

Bonitas dictus Phocio. IV. 10.

Boves a viro acti sunt typus Colonia
in Numis: si addantur signa milita-
ria, denotant, colonos deductos
fuisse milites. XIV. 4.

C.

C. pro Σ. in Græcis Numis. III. 14.

Caduceus Pacis, Felicitatis, beati im-
perii tessera. II. 7. III. 3.

Cæsarum Familiæ Genealogia. VII. 13.

Cajus cum *Lucio* fratre, *Agrippa* M.
filii, ab Augusto adoptatus, Cæsar
dictus, ac Princeps Juventutis, in-
super Pontifex, cito periit. VII. 5. 9.
Ejus solius numi, sine fratre *Lucio*

addito, rari: in quibus cavendum,
ne sint *Caii Caligulæ*, postea *Cæsa-*
ris. ib.

Cajus Caligula initio imperii omnium
favorem quæsit: Ducentesimæ ve-
stigal remisit: liberalitate profusissi-
ma fuit, jactans, nihil a se admissum,
cur cuiquam invisus esset. Deinde
rapacissimus, & crudelissimus. XV. 4.
Calliroë Athenarum Fons sacer.
XXIII. 2.

Cantharus in manu *Bacchi* XIX. 3.

Capra, victima Junonis *Silpitæ*, nota
initi Consulatus. VIII. 2.

Capricornus Symbolum felicitis imperii.
Sidus hoc Augusto summam fati si-
duciam peperit ex præfagio Theoge-
nis Astrologi. An vere fuerit Au-
gusti Thoma natalitium, dissidentes
sententiæ: item quid vere designet?
Earum Conciliatio. II. 8. 9. 10. *Ca-*
pricornus cur media parte *Piscis*? ib.
Horoscopus felicissimus. ib. 13.

Caracalla patris vitæ infidiatus est: *Fra-*
*tre*m *Getam* in sinu matris occidit,
nequicquam, licet summe ad labo-
rante patre, ut eos concordēs redde-
ret. IX. 2. Ejus liberalitas nona in
numis legitur. XIII. 8.

Carthago Nova *Victrix* *Julia* Colonia.
VII. 14.

Cassius decem Annorum *Debita* vetera
brevissimo tempore solvi ab *Asianis*
Græcis duro imperio voluit. XV. 9.

Castra Prætoris in numis. XII. 3.

Catinenses Fratres quinam fuerint: ima-
go *Pietatis* in suos. IV. 12.

Cereris imago XII. 4. 6.

Certamen Quinquennale Romæ more
græco. XVIII. 5.

Censoris olim officia. Pudor ei, repre-
hendere in alio, quod ipse egit. V. 1.

Centumcella *Portus* in numo *Traiani*.
XX. 11.

Christiani ad leones! *Christiani* ad bestias!
conclamabat *Populus Romanus* fu-
rentibus persecutionibus. XVII. 6.

Cico-

INDEX ALTER.

Ciconiæ Pietatis Symbolum. IV. 10.
Circenses Ludi non indicati per CC. XV. 3. *Circensis* Decursio facta curribus, & celetibus. XVIII. 2.
Claudius Imp. a populo fragmentis panis contratus, postea Annonam diligenter procuravit. XI. 3. Ludos seculares irrisus fecit. XIV. 3. Aliquibus Civitatibus Debita vetera remisit. XV. 8. Portum Ostiæ extruxit. XX. 7.
Clavus & Gubernaculum quid differant? II. 14.
Clementia facit verecundiam peccandi. Principem Deo similem reddit: unde ei dicitur: *Vestra Clementia*. Impunitatem præbere non debet sceleribus: mitigare tamen rigorem nimium Justitiæ. VI. 7. 8. 9. Ejus imagines. *ibid.*
Columna firmitatis symbolum. III. 6.
Comites sacrarum Largitionum. XII. 3.
Commodus licet frequenter in castris cum patre, Virum tamen non exhibuit. VIII. 5. Ipse impurissimus, impunitatis titulo Crispinam conjugem repudiavit, & necavit. XXIII. 3.
Consurvationis Vinculum quale? olim sacerrimum. XXIII. 3.
Concordia dictus Vitellius. IV. 10. Concordiam parit amicitia. Principum in eodem throno rarissima: sed amabilis subditis. IX. 1. 2. X. 2. Concordia Civium Principi, & Reipublicæ utilissima. X. 3. 4. Concordiæ Principum, Civium, & Conjugum imagines, ac varia symbola. IX. 4. 5. 6. 10. X. 1. 2. 5. 7. 9. XXIV. 5. 6.
Congiaria extra ordinem ab Augustis quibus occasionibus dari solent? Quanta eorum munificentia? Quo ritu impensa? XI. 6. 7.
Congium erat mensura liquorum: unde non recte usurpatur pro Modio. Congiarium a Donativo, Alimentis, Frumentatione in quo differat? Pro-

miscue tamen hæc voces etiã a Veteribus positæ. XI. 9. 10.
Connubium a Matrimonio, & Nuptiis differebat. XXIII. 3.
Constans, dum a patre Constantino M. Caesar est dictus, aderant portenta turbarum præfaga. Ejus fatum. X. 2.
Constantia & Fortitudo quomodo differant? Constantiæ imagines. VI. 12. Constantia cum Fortuna congredditur, sive hæc Amazonem induat, & tonet, sive Sirenem, & aduletur. Animum firmat in prosperis, & adversis. *ibid.* 13.
Constantini M. laus a vera Religione in Orbem inducta. Item a victo Maxentio. V. 10. Filiorum ejus fata X. II.
Constantius in Arfacem Regem liberalis. XIV. 7.
Cornucopiæ Felicitatis, & Fortunæ symbolum. II. 9. Etiam Concordiæ IX. 5. In manu Monetæ. XXII. 9.
Corona certantium præmium. XVIII. 6.
Correctorum in typographiis incuria. XIV. 1.
Crinisus fluvius genuit Egestum ex Egesta Hippotis filia. IV. II.
Curatores Frumenti. Curatores Minuciarum. XI. 5.
Curfus Publicus. *Vide*: Vehiculatio.

D.

Debita Vetera abolere, Tributorum videlicet, aliorumque a subditis pro præterito tempore præstandorum, est Beneficentia vere Augusta, & licet populo de novo nil conferat, gratissima tamen est, quia ingenibus miseris levat. Id porro, ut faciat, subditorum inopia Principi fere imperat. Factum id a multis Principibus, at vario modo plus, minusve. Interim Debitorum chartæ, ut solebat, in publico foro combustæ pulcherrimi & jucundissimi erant ignes festivi. XV. 7. 12.

INDEX ALTER.

Decursio Militaris, Circensis, Funebris. XVII. 1. 2.

Delphinus Anchoræ implexus symbolum Domnii maris, aut me: cimoniorum navalium: item Prudentiæ. V. 7. Delphini multa analogia cum bono Principe. 8.

Democratia quid? I. 2.

Deorum imagines cur plerumque corpore, aut saltem pectore nudo sint? III. 3. Deus orandus, deinde consulendum, & manus admovenda. V. 6. A Deo pendere hominum sortem etiam in crassissima idololatriæ nocte agnitum fuit. XIV. 3. Deo unico tot diversas, quæ in Mundo se exerunt, virtutes convenire non posse rati pagani, plures deos fecerunt, in quos illas partirentur. XXIII. 7.

Dextræ commissæ Concordiæ symbolum. IX. 5. Item Fidei, cui a Physicis consecrata. Fidem dextris stipulatam non sefellerunt gentes. Dextræ signi militariibus impostæ, fidei testandæ causa. Erant etiam Hospitalitatis tessera, Legionibus submitti solita. X. 8. 9.

Discordia Civium Regno, & Principi noxia. X. 3. 4.

Domitianus impius in fratrem Titum. IV. 14. Adhuc Cæsar vim Dominationis summa licentia exercuit. XII. 2. Ludos seculares fecit, & primitias frugum, diis a populo libandas, ipse prius in plebem liberaliter distribuit. XIV. 3. Primo æquior, deinde injustissimus, Fiscum Judaicum acerbissime egit. XVI. 6. Munivit Viam Appiam, ac propterea ad templum Herculis ibi constitutum statuum suam posuit, colique voluit, quasi Herculeo labore defunctas. XXI. 4.

Domitilla Vespani Imp. Conjux. Ejus numi maxime suspecti. IV. 14.

Donare debet, quisquis cupit, ut sibi

libenter serviat. XI. 1. Donâ a privatis in plebem quandoque erogata. 6.

Donativum quid proprie? XI. 9.

Draco Lacedæmoni rum Legislator nimis severus. VI. 8.

Drusi tres non confundendi. VII. 10.

Drusus major Nero Claudius Tiberii frater, fuit Princeps Juventutis, non tamen Cæsar dictus. Ejus historia. VII. 10. 11.

Drusus minor Tiberii filius, an Princeps Juventutis dictus, ambiguum: nec bonus, nec diuturnus fuit. VII. 5.

Drusus Germanici filius, cum fratre Nerone Cæsar dictus a Tiberio, ac Princeps Juventutis, & Quinquennialis Præfectus Coloniae Victricis Juliæ Novæ Carthagini: mox vero Tiberii odia sustinuit, & brevi occidi iussus. VII. 5. 14.

E.

Egesta Hippotis filia ex Criniso fluvio peperit Egestum, seu Acestem. IV. 11.

Elephantes quando primum bello adhibiti? Loricabantur ferro, arte Jul. Cæsaris tamen vulnerati, quandoque præda jucundissima facti, maxime si indi debellarentur, qui elephantes auro loricabant. XIX. 7. Primum Romanos in bello maxime terruerunt: deinde in triumphis gratissimum spectaculum. Capti debuerunt in theatro pugnare, saltare, immo & fune ambulare. 8. Cæcilia gentis numi cum elephante loricato, aut nudo, signant L. Metelli de Pœnis in Sicilia victoriam, actumque cum captis elephantis triumphum. ibid. Elephas pro Signo erat Legioni. IV. Jul. Cæsaris, quæ in pugna contra Scipionem elephantes vicerat. ibid.

Emere per æs & libram quid? VII. 7.

Epitaphia in utroque latere Viarum Romanarum, XXI. 6.

INDEX ALTER.

F.

Fecunditatis Imagines. XXIV. 7. 12.
Feminarum imagine cur Virtutes pingantur. IV. 3.
Famem nemo tolerat pacatus XI. 3.
Falces iustitiæ nota II. 7.
Fascia imperii symbolum apud gentes alias, Quiritibus exosa. II. 1.
Fauslinæ puellæ XIV. 10.
Felicitatis imago in omnium Cæsarum numis fere occurrit: quia Senatus Principes omnes procurandæ Felicitatis publicæ admonere voluit: & quia Principes ipsi unice postulabant, de suis temporibus eam prædicari. III. 1. Ejus tamen prædicatæ variæ fuerunt causæ. ib. Imagines ejusdem cum variis symbolis. 2. 8. Felicitas dea erat: templa ei structa. Felicitas orbis vel Imperii, vel Romanorum legitur in quibusdam numis: ΤΥΧΗ ΣΕΒΑΣΤΗ. 9. Felicitas Deorum quo pacto dicitur? ib. Sulla dictus Felicitas IV. 10. Aliæ Felicitatis imagines. XXIV. 3. 4.
Fertilitatis imago: Græcè dicta ΕΥΘΗΝΙΑ. XII. 8.
Fides Augustæ in numis prædicata, reducenda ad Pietatem in patriam: Fides Publica ad Pietatem in Principem. VI. 14. Fidei erant sacratæ Dextræ, hæque commissæ ejus symbolum. X. 8.
Fiscus plerumque cum calumnia actus. XVI. 7. Fiscus Judaicus quid? A Domitiano acerbissime actus, & quomodo? Ejus calumniam sustulit Nerva, non ipsum fiscum. 6. 8.
Flaminiam Viam munivit Augustus. XX. 3.
Flos in manu Spei. III. 12. 14.
Fortuna quare Gubernaculum & Cornucopiæ gerat? II. 9. 14. Ei supplicatur pro beatitate, Felicitas vero actu beat: unde illa quasi mater, hæc filia. Pinguntur paribus symbolis,

ambæ variabiles. III. 2. *Fortuna* aurea Domus Augustæ designari videtur per feminam, quæ orbi Gubernaculum imponit. 9. *Fortuna* non nisi cum fortibus concreditur, nunc Amazon, nunc Siren. VI. 13.
Fruentatio quid proprie? XI. 9. *Fruentum* Romæ non modo procurari debuit, ut emi posset levi pretio: sed & gratis dispensari. Julius Cæsar recipientium numerum constrinxit ad 150. millia: Augustus ad 200. millia ampliavit. Nerva omni plebi egenti, nullo numero definito frumenta constituit. XII. 1.
Funeris Decursio circa Rogum, ubi corpora cremabantur. XVIII. 2.

G.

Galbæ Virtus aut non satis vera, aut infelix. IV. 2. Ejusdem ad Principatum ingressus, & infelix exitus. X. 6. Remisit vectigal Quadragesimæ testibus numis, quod Tacitus Neroni adscripsit. Promeruit Ornamenta Triumphalia. XV. 6. 7.
Galea index Fortitudinis, & Nobilitatis. IV. 3. 4. Item Symbolum Minervæ. VIII. 2.
Germanicus Cæsar Tiberio fuit timori. VI. 10. Erat Princeps Juventutis. VII. 5. Tiberii odia sustinuit ejusque, ut creditur, artibus peremptus est. 13.
Glarea quid? ad Vias Romanas sternendas, & muniendas adhibita. XXI. 6.
Gordianus Nepos tristissimis Reipublicæ temporibus levamen attulit. III. 6. Ad Triumphum sui Persici spectacula ingentem peregrinorum animalium copiam frustra paravit, ante ab æmulo Philippo occisus. Edidit tamen prius Venationem cruentam. XIX. 5. 6.
Gradiles panes unde dicti? XIII. 1.
Gu-

INDEX ALTER.

Gubernaculum navale Imperii symbolum, & index gravis ac irremissi in gubernando laboris. II. 3. 14.

H.

Hadrianus in milites liberalissimus. XIV. 4. In Reges munificus. 7. Primus Imperatorum universis Romano imperio subiectis sedecim annorum Reliqua Vetera, i. e. quæ ærario in pecunia debebantur, remisit: idcirco laudatus Locupletator Orbis terrarum. Nihilominus vero plurima bona, quæ præstitit, in fine crudelitate corrumpens, invisus omnibus sepultus est. XV. 8-12. Pontem Trajani super Danubium iterum dejecit. XX. 9.

S. Hadrianus dicitur filius Probi Imperatoris, & Martyr sub Licinio. XIII. 3.

Hæsta pura sine ferro præfixo, quasi sceptrum est, Divinæ humanæque Potestatis index. III. 4.

D. Helena non fuit Constantini M. conjux, sed mater: a filio dicta Augusta. Eius numi olim fidelibus chari: sed non confundendi cum duplicis alterius Helene numis. XXIV. 12.

Helena Uxor Crispi Cæsaris non fuit Augusta. XXIV. 12.

Helena Constantini M. filia Iuliani Apostata conjux. XXIV. 12.

Heliotropium non ineptum Clementiæ symbolum. VI. 9.

Herculis imago, qui tyrannos domuit. XIX. 3. 4.

Hilaritatis imago. XIX. 12.

Honoris conjugem dixere Reverentiam, & filiam Majestatem. Ejus imago, Templum honoris ita constructum, ut ad illud accedi, nisi per Templum Virtutis non posset. IV. 4. 5.

I.

Imperii Monarchici Symbola. D. II. I. seq. *Impietas* olim dictum crimen læsæ Majestatis. IV. 13.

Ingenio non usque ad defatigationem utendum. III. 8.

Italia præ omnibus Romanis provinciis semper potior habita. XVI. 4.

Judæi a Pompejo M. ad tributa compulsi, & dispersi, poterant tamen singulis annis Didrachmam suam Jerosolymam mittere ad templum. Hac urbe everfa coacti sunt a Tito, eam Didrachmam Jovi Capitolino præstare: unde natus Fiscus Judaicus, Hunc Domitianus crudelissime egit, tam eos, qui professi sunt, se esse Judæos, quam qui ut tales deferebantur etsi per meram calumniam, ad didrachmam cogens. Calumniam istam, non vero Fiscum ipsum, sustulit Nerva. Judæi porro sub tributis erant semper, donec eos impius Julianus Apostata in odium Christianorum liberos diceret. XVI. 5-8.

Julia Pia Felix Augusta Conjux Seprimi Severi. Ejus sæcunditas. XXIV. 2. 7.

Julianus Apostata in odium Christianorum Judæis impense favens, eos immunes fecit a tributo, adhortatione Juli Patriarchæ Judæorum: quem ipse Fratrem, & maxime reverendum Patriarcham appellabat. XVI. 8.

Julius Cæsar concessit Judæis didrachmam Jerosolymitanam. XVI. 5. Venationem Romæ cruentam fecit, sed non primus. XVII. 7. Viam Appiam curavit, & munivit. XXI. 4.

Juno, seu Luna, Deorum Regina, Jovis Soror, & Conjux, adhibita ad designandam Augustarum Majestatem. Livia primum dicta Juno. Ore poetarum etiam viri privati conjugis suas dixere Junones. Junonis imago. XXIII. 4. 5.

Justinianus Imp. & Legum parens subditis Debita dimisit, testibus Novelis suis, licet id negaverit Procopius. XV. 7.

Justitia Sapientiæ Comes: ambæ sunt Poli Mundi Politici: Soli & Lunæ com-

INDEX ALTER.

comparantur. *Justitia* omnem *Vir-*
tutem ambitu suo complectitur: est
Fulcrum Civitatum: hac *Throni* fir-
mantur. Eam a Principe maximæ
exigit *populus*: sine hac ne *Jupiter*
quidem ipse imperare posset. *Son-*
tes plectere debet. VI. 1. 2. 3.

Justitiæ imagines. *Græcis* & *Numis*
scribitur ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ. Ab *Æquit-*
tate in quo differre videatur. Ejus
omnia munera egent *balance*. *Fru-*
ctus illius. *Nimia* severitas tam no-
xia quam odiosa. VI. 3. 8.

Juventus apud Romanos dicebantur
Equites, & *Ordo Equestris*. VII. 3.

K.

Karthago Nova *Victrix* *Julia* *Colonia*
habet *Quinquennales Præfectos* *Ne-*
ronem & *Drusum* fratres, *Germanici*
filios, *Cæsares*. VII. 14. *Aliis* scri-
bitur per *C. Carthago*.

L.

Labari, seu *Vexilli Romani* imago.
X. 1.

Lac maternum naturam in prolem tra-
ducit. IV. 16.

Latitiæ *Publicæ* imago. XIX. 12.

Lapides in *Viis* Romanis habebant mil-
liarium notas, & alias *lepidas* in-
scriptiones. XXI. 6.

Largitio quandoque dicta pro *Libera-*
litate. XIV. 6.

Latus *Clavus*, & *angustus Romæ* quid?
VII. 5.

Lebes seu *Urnula* cum *palmis*, *Certa-*
minum Græcorum nota. III. 14.

Leges moderatæ erunt, si servet eas ipse,
qui fert. VI. 11.

Liberalitas *Augustorum*, maxime varia
ratione impensa, digna fuit *Numo-*
rum materies. XI. 11. Ejus imagines.
XII. 4. seqq.

Liber quisquis est, cito indignatur co-
genti. XXII. 7.

Libertas Restituta *Beneficentiæ* *Augu-*
stæ genus. *Libertas* dea, præ omni-
bus *Numinibus* a *Roma* amissæ *Li-*
bertatis semper cupida, ardentius &
sacrius culta fuit: cujus vel umbram
sibi apparentem *numis* celebravit.
XXII. 2.

Libertas, & *Principatus*, res non omni-
no dissociabiles. Hac specie multi
Augustorum Romæ illuserunt, XXII.
4. 5.

Libertas toties in *numis* descripta ar-
guit, *Quirites* eandem semper affe-
ctasse: *Augustis* vero perpetuum me-
tum incussit. *Utriusque* tragica exem-
pla tot cædes *Imperatorum*. XXII. 7.

Libertatis symbolum *Pileus*. *Libertis*
enim i. e. e servitute manumissis, atque
in templum *Feroniæ* deductis radeba-
tur caput, & *Pileus* imponebatur.
XXII. 7.

Libra *Justitiæ*, *Æquitatis*, & *Monetæ*
Symbolum. VI. 4. 6. XXII. 8.

Litere initiales lemmatum in media nu-
mi area, ut F. F. S. R. B. T. *Ævo*
primum *Constantiniano* passim oc-
currunt: unde *Numi*, qui eas habent,
illuc fere reducendi. XIII. 4.

Luciani *Navis* semper impleta, i. e. *Vo-*
ta hominum irrita, spesque inanes
nunquam cessant. VII. 2.

Lucius, *M. Agrippæ* filius, ab *Augusto*
adoptatus, *Cæsar* dictus. & *Princeps*
Juventutis, cito periit. VII. 5. 9.

Ludi & *spectacula* erant *Beneficentiæ*
Augustæ genus. Olim *Largitionis*,
Indulgentiæ, & *Munificentiæ* nomi-
nibus celebrati. Diligenter in *Num-*
is signati. Fieri debebant vel a
nolentibus *Augustis*, ne *Populus* sedi-
tiones cogitent. XVII. 1. 2. & c. XIX.
6. 10.

Ludos fecerunt *Prætores Urbani*, &
Ædiles Curules. *Alii* *Votivi*, *alii*
Stati, *alii* *Extra ordinem*. His for-

INDEX ALTER.

- unam Urbis, & Victorias verti credebatur populus: quare eos Religiosissime expetiit, spectavit, & egit. Religione ergo suscepti sunt: sed brevi vanitas irrepfit, & prodigalitas, ut Ludi multi prohiberi, ad alios ab Imp. sumtus dari oporteret. XVII. 2.
- Ludi Sæculares quando acti, unde eorum origo, in quorum honorem, quo ritu fierent, & quo fine. XVII. 10. 11.
- Ludos hos fecerunt *Augustus Claudius*, *Domitianus*, *Sept. Severus*, *Philippus*. Primitiæ frugum in eisdem oblatae sunt Diis. XIV. 3. Numi cum Capite Apollinis, Luna item ac Stellis, seculares Ludos, non Apollinares designant. XXII. 11. Ludus Troiæ. VIII. 3. 4. Quinquennales Ludi. XVIII. 10.
- Luna*, seu *Diana*, in secularibus Ludis peculiariter culta. XIV. 3.
- M.
- Machiavelli* impia sententia de fovenda a Principe Civium discordia. X. 3.
- Mæsa Julia* Avia Alexandri Severi, & *Elagabali*, utrumque ad folium admovit. IX. 10. 11.
- Magna Urbica* an *Cari Imp.* Conjux? XXIV. 4.
- Mala prævidenda, ne nimis feriant. VI. 12.
- Malum punicum symbolum Concordiæ. IX. 5.
- Majestas* filia honoris & Reverentiæ. IV. 4. Augustarum Majestas in numis non aperte describitur, sed tantum schemate innuitur. XXIII. 1.
- Mamea* Mater Severi Alexandri, a filio unice culta, putatur Christiana: avarior fuit. IX. 8. 10. 11.
- Mameana* Puellæ. XIV. 10.
- Manubie* & Præda quomodo differant. Manubialis pecunia quæ? XX. 3.
- Manus* commissa Symbolum Concordiæ, & Fidei. II. 7. Signum militare tenentes nota fidei & Concordiæ militum. VIII. 2.
- M. Marcellus* exstruxit Tempula Virtutis & Honoris. IV. 4.
- Marcianus Imp.* Annorum 150. omnis generis Debita vetera populis remisit. XV. 10.
- Marginarye* Vias quid? XXI. 6.
- Matrimonium* a Connubio, & Nuptiis olim quid differret. XXIII. 3.
- Matrum* officium lactare filios: omissam prolihus nocet. IV. 16. Quæ earum debeat esse in Liberos Pietas. XXIV. 13.
- Memmia* Alexandri Severi Uxor altera. IX. 3.
- Mercurius* Gallorum quis? Idem cum Apolline, & Sole: Vulcano tridentem furatus. XII. 10. Crumenam gestans in numis, cum lemmate: *Pietas Augg.* juxta quosdam designat Liberalitatem impensam, juxta alios Pietatem in Deos. Auri argentique usum primus invenit, ideo dictus *Aureus Deus*, & cum sacculo pictus. Reperit & cultum Deorum, unde facultatem habuit, Pietatem hominum in Deos remunerandi. XIII. 4.
- Metæ* quid fuerint Romæ? *Meta* sudans qualis? XXI. 12.
- Militaris* Decursio. XVIII. 2.
- Minucius* Cajus Romæ primus Præfectus Annonæ. XI. 4.
- Missilia* quid fuerint? XVII. 4.
- Moderatio* Virtutis omnis est medium in summa fortuna nimiam coercet licentiam: rara, & ardua. Ejus similitudines, & imago. VI. 11.
- Modius* subinde in capite Fortunæ, aut Felicitatis, Ubertatis symbolum. III. 9. Dum spicæ ex eo prodeunt, deno-

INDEX ALTER:

denotat Frumentum procuratum, & in plebem dispensatum. XII. 1.

seqq.

Mola falsa quid rei? adhibita ad consecrationem omnium rerum. XXIII.

3.

Monarchia quid? 1. 2.

Moneta Restituta Beneficentiæ Augustæ Genus. Ejus imagines. Justa, & æqua sit: injusta furtum maximum. Pro ea Princeps ibi signatus fidem veluti suam interponit. Numi cum lemmatibus: *Indulgentia Aug.* vel *Perm. Aug.* designant Monetæ eudendæ privilegium obtentum. XXII. 8, 9.

10.

Mora temperata prædest: nimia nocet. V. 8.

N.

Navis symbolum Felicitatis, aut felicitis Regiminis. II. 14. Prope Annonam aut Cererem conspicua designat; frumenta mari procurata. XII. 6.

Navmarchia vel erat certamen Navale, Romæ spectaculi causa sæpe editum, vel locus ad id exhibendum paratus. XVII. II. XIX. 10.

Neptuni imago IV. 12. XX. 5.

Nero securus esse non potuit, quia tyrannus erat. III. 10. Initio Regiminis bonus, tollere voluit omnia vestigalia: sed invitis Patribus, moderatus aliqua, alia sustulit. An etiam Quadragesimæ vestigal? XV. 5. 6.

Equorum studio maximo fuit, uti & Circensium, in quibus ipse decurrit, licet curru excusus, tamen coronatus, quia ipse sibi coronam imperavit. XVII. 3. 4.

Ad Olympica certamina in Achaiam profectus, contendit cantando, & Cytharæ artibus: coronatus statuas

suas, & numos cytharædico habitu fieri jussit. XVIII. 3.

Neronia, seu certamen Quinquennale more Græco triplex Romæ instituit: in quo certavit ipse, & coronam accepit: Cytharam ad se delatam adoravit. Barbam primam a se positam in Capitolio consecravit. XVIII. 5. Non solum plebi, sed & Senatui & Equiti oleum præbuit. 6.

Ludos suos, pro æternitate Imperii susceptos, maximos dici voluit. Corona sua ex certaminibus obtenta coronavit Populum Romanum, & suum Orbem terrarum. Spretus a muliere Angliæ Bundvica, ut Cytharædus. XVIII. 7.

Antium, ubi natus, Coloniam deduxit: ibique Portum exstruxit. Romam Ostiam usque extendere voluit. Fossum saltem illuc fecit. Sed non in alia re, quam ædificando damnosior fuit. XX. 8.

Nero Germanici filius cum fratre Druso a Tiberio adoptatus, Cæsar dictus, & Princeps Juventutis, mox odio habitus, & occidi jussus. VII. 5. 14.

Nerva plebi pauperi frumenta certa constituit. XII. 1. Vehiculationem Italiae remisit. XVI. 4. Non Fiscum Judaicum, sed ejus tantum Calumniam sustulit. *Ibid.* 8.

Numorum immensa copia: quorum multos qui non vidit, aut saltem novit, non intelligit eorum usum, & Romanam Majestatem. I. 9. Eorum Aversæ ob imaginum varietatem Theatra jucundissima. *Ibid.*

Numi, & Senatus, cujus Authoritate signati sunt, non culpandi, si laudent Principes malos. I. 4. 5. Nimi obyii, & vulgares quinam censendi? Mutuam sibi operam præstant: obscuriores, & lemmate nullo, vel am-

INDEX ALTER.

biguo, aliis clarioribus exponendi
III. 1. 5.

Numi plures, Monetariorum culpa viti-
tiosi, non semper excusandi: sed
quandoque libere fatendum, creden-
dumque vitium. Quid contra op-
poni possit? IV. 6. 7. Numorum
imagines multa celant mysteria, quæ
retergit Historia, etiam Fabulis in-
voluta. *Ib.* 12.

Numi per tot Virtutum, Actionumque
laudabilium imagines, maxime qui-
dem Principibus, deinde etiam aliis
omnibus utilissimam prælegunt Mo-
rum philosophiam. I. 4. 5. II. 14.
VI. 14.

Numorum Utilitas non in possessione,
sed cognitione. X. 10. Non obiter
inspiciendi sunt, sed accurate explo-
randi, an nihil in eis repugnet. Pla-
ra habent, quæ conicere quidem
licet, non item certo pronunciare.
XIII. 5. 8.

Numi oculorum fide plurimum nitun-
tur. Ab aliis picti, & descripti,
formidini locum dant, ne erratum
sit per intermedias operas, ut scul-
ptorem, calcographum, scribam,
typothetam, correctorem &c. XIV.
1.

Numorum Laconica brevitatis laudata:
quæ tamen non sufficit, nisi doctio-
ribus. XIV. 5. *Numi* breviorum
Principum, ut rariores, ita chario-
res: quia docent multa, quæ histo-
ria tacuit. XV. 5. Spirant *Numi* ve-
teris Romæ gloriâ, & afflant nobis
ejus honorem. XXIV. 15.

Nuptiæ apud Gentes semper sacræ ha-
bebantur. A Connubio, & Matri-
monio, phrasi veterum, quomodo
distinctæ? XXIII. 2. 3.

O.

Olea Pacis & Clementiæ Symbolum,
VI. 9.

Onerum Publicorum, seu servitorum
a subditis præstandorum relaxatio,
aut moderatio insigne Beneficentiæ
Augustæ Caput. XVI. 1.

Opera Publica, quæ ad curam Princi-
pum maxime attinent, fuere Viæ,
Pontes, Aquæductus, Portus &c.
Hæc pro omnibus curare absque eo-
rum sumtu, Beneficentiæ vere Au-
gusta fuit. XX. 3.

Orbis imperii Symbolum, & quibus de
caussis. II. 2. - 6. *Orbis*, Pila, Globus,
stilo veterum diversa. 6.

Ostiensis Portus in numo Neronis, sed
a Claudio exstructus. XX. 7.

P.

Pacis Symbolum Caduceus. II. 7.

Palladis, proinde & Sapientiæ Symbo-
la. V. 9. *Palladium* quid? IV. 11.

Palma cum caryotis, seu dactylis, Pa-
lestinae & Judææ nota. XVI. 5.

Pandora pixis omne malum continens,
spem tamen in fundo. III. 13.

Papaver non videtur esse in manu Con-
cordiæ. IX. 5. *Spicis* conjunctum
est Symbolum Annonæ. XII. 4.

Parazonium utrum in manu Virtutis?
& Imperatorum? Videtur potius sce-
ptrum Ducale. IV. 2.

Parma & Hasta solita Equitum insig-
nia. VII. 7.

Pavo Avium pulcherrima, & Regina,
Junci comites. XXIII. 5.

Pegasus Symbolum Corinthi. XVIII.
6.

Penates quid? IV. 11.

Philippus Imp. celebravit Millenarium
Romæ Sæculum. XIX. 11.

Pietas ad omnia utilis: Sine illa fru-
stra laborat, maxime Princeps. Se-
cundum varia munera sua æquivalet
Religioni, Amori, Fidei, Miseri-
cordiæ, IV. 8. 9.

INDEX ALTER.

- Accepta in numis pro amore Parentum, Liberorum, Propinquorum.* IV. 10. 11. 12. Pro amore mutuo, & Concordia Augustorum. Pro amore mutuo Principum, & subditorum, Pro fide erga Principem. IV. 13.
- Pietas in Liberos Matrum propria, Ejus officia, & imago.* XXIV. 13. *Pietas Matrum, filiis suis virtutem cum lacte instillantium, laudatur.* IV. 15. 16. *Pietas Romana.* *Ib.*
- Pietas in Deum, & suos sæpe ludus est: Foris ardet, intus friget.* VII. 14.
- Pileus Libertatis indultæ Symbolum.* XV. 2.
- Piso a Calba adoptatus.* IV. 13.
- Plautilla Caracallæ conjux improba.* XXIV. 14.
- Plebei Urbanæ nomine quid olim intellectum?* XI. 7.
- Politica quid? Politica Augustorum Gloria sunt Artes bene gubernandi, & domi laudabiliter acta.* I. 7. *Ejus tria præcipua Capita, hujusque Patris Secundæ Argumentum, nempe: Dignitas imperii: Fortuna Domus suæ: Beneficia in Rempublicam colata. Horum Caputum sectio in varia membra.* I. 6. 7.
- Pompei Sexti numus habet quidem ejus titulos, sed patris Cn. Pompei M. Caput. Fuit Sextus Præfectus Classis, & Oræ Maritimæ ex Senatus Consulto.* IV. 12.
- Pomum Imperii modernum quid innuat?* II. 6.
- Pontes ad Opera Publica, & Curam Principum attinent.* XX. 3. *Pons Traiani super Danubium non est in ejus numo, sed Portus.* *Ib.* 9.
- Portoria erant vestigal, quod de omnibus in via deportatis pendi debuit.* XV. 5.
- Portus exstructi censentur inter Opera Publica, & attinent ad Beneficentiam Augustam.* XX. 5.
- Præfetti Annonæ.* XI. 4.
- Prætexta vestis puerilis ponebatur Romæ Anno ætatis decimo quinto, XVIII. 7.*
- Prætores Consulibus substituti, eorum Collegæ.* VIII. 1.
- Princeps sine cura dormire nequit.* I. 3. *Virtutes ejus privatis pariter esse possunt disciplinæ.* *Ib.*
- Principes, etiam mali, in numis laudati, ut sub Commendationis specie per tacitam philosophiam admonerentur de optimis regendi artibus, suoque statui congruis virtutibus: cum alia monita non admitterent. Interim & mali quoque nonnulla egerunt laude digna, & memoria. Laudati quoque præsentis, ut pariter saperent Successores.* I. 4. 5.
- Principem facit Imperium: Unde cum hujus symbolis semper exprimitur. Orbem habet sibi subjectum.* II. 1. &c. *Ut navis gubernator irremisso labore superare debet tempestates.* II. 3. 14.
- Principi necessaria Pietas.* IV. 8. *Plurimæ insuper virtutes. Qualis enim ipse, talis populus. Fuere olim Principes Censores Perpetui: a se ipsis ergo Censuram incipere oportuit.* V. 1.
- Princeps esse debet Prudens, ac Providus, pariterque Religiosus: non omnia a Deo expectet, minus omnia imputet Consilio suo, & labori. Admota manu Fortunam imploret. Romulum & Numam uno pectore claudat. Augusti sequatur institutum: prius sacrificet, deinde consulat.* V. 2. 6.
- Princeps quantum Justitia egeat.* VI. 1. 2. &c. *Sed eam Clementia temperet, nullibi nimius.* VI. 7. - 10. *Excelsat Moderatione.* VI. 11. *Constantiam exhibeat adversus Summam suam Fortunam, sive illa Amazonem induat, sive Sirenem.* VI. 12.

INDEX ALTER.

13. Principum Casus ex summo fiunt, ideo, graves, cumque ruina magna. *Ibid.*
- Principum filii Patrum gloria, Populorum spes, & lætitia: sed sæpenu-mero fallens. VII. 12.
- Principum Concordia res amabilis subditis: sed throni socium plerumque pati nesciunt. IX. 1. 2. Tutissimum eis, septis esse concordi charitate civium. X. 3. 4.
- Principibus Romanis Beneficentia multiplex necessaria. Quibus de causis. XI. 1. Benefacit porro Princeps non solum donando, quod libet: sed & non auferendo, quod licet. Si nimirum Ærario suo fortunas civium non absorbeat: in imponendis tributis, vestigialibus, oneribus publicis stateram non transiliat: Debita vetera subditis remittat. XV. 1.
- Princeps Juventutis* primis Romæ temporibus, mediis quis fubrit? VII. 3. 4. Ejus præ eminentia per Augustum translata in Domum suam ad filios, & nepotes. 5. Novum tunc, duos simul fuisse Principes Juventutis: eosdem Pedestri exercitui præfuisse: immo elogium hoc obtinuisse in signum successionis Augustæ. 6.
- Principis Juventutis munus olim præcipuum, ducere Juventutem Equestrem in Ludis, Decursionibus, maxime Troiæ Ludo. VII. 5. VIII. 3. 4. Deinde universæ rei militaris evasit Princeps. VIII. 5. Imagines Principum Juventutis Equestres, aut Pedites cum signis. VII. & VIII. *per totum.* Plurimi eorum Romam spe inani luserunt. VIII. 11.
- Probus* Uxorem habuit, & Liberos: neminem tamen Cæsarem dixit, minus Co-Augustum. XIII. 3.
- Procla* Julia dicitur Uxor probi Imperatoris: & S. Hadrianus Martyr ejus filius. XIII. 3.
- Providentia* quid sit? Proprie Dei esse videtur, non hominis: eadem fere cur Prudentia. In græcis numis scribitur ΠΡΟΝΟΙΑ. V. 2. 6. Ejus imagines. V. 3. - 6. Providentiæ in procurando frumento imago. XII. 2. Item Bellicæ Providentiæ typis. *Ib.* 3.
- Prudentia* Principis est oculus Reipublicæ, Prudentia, Providentia, Sapientia, cognatæ, nec parvæ Deæ. V. 2. Prudentia facit Deo similem. Fere eadem cum Providentia. Sine ea non bene regitur. Per eam felix Respublica. V. 5. Ejus munus præcipuum, cunctari consilio, agendo festinare. V. 8. Ea si uteremur, sæpe timore tam panico non essemus. XIX. 9.
- Publicani* dicebantur duri vestigialium exactores. XV. 5.
- Pudicitia* Augustarum imagines. XXIV. 1. 4.
- Pueri* patrimi & matrimi quales? XVII. 11.
- Pulchritudo* in numis Augustarum tecto schemate Deæ Veneris velata. XXIII. 1.
- Pythodoris* Thracum Regina. VI. 4.

Q.

Quindecimviri Sacrorum faciendorum præcipui erant in sæcularibus Ludis. Augustus an hujus Collegii fuerit? XVII. 9.

Quinquennale Certamen more Græco triplex Romæ constitutum a Nerone, dictum Neronia. XVIII. 5.

Quinquennales Ludi acti in honorem Imperatorum exacto Principatus sui Quinquennio. XVIII. 9. 10.

Quinquennialia vota nuncupata, aut soluta pro Augustis. XVIII. 9.

INDEX ALTER.

R.

Radiata Corona ornamentum Divorum, postea & vivorum. II. 4.

R. CC. non legendum: Restituti Circenses: neque: Remissa Centesima: sed Remissa Ducentesima. XV. 3.

Religionis index securis, qua victimæ cædi solebant. II. 7.

Reliqua Vetera abolita, seu debita subditorum remissa. XV. 7.

Reverentia dicta Conjux honoris, quæ filiam peperit Majestatem. IV. 4.

Roma Regimen Aristocraticum, Democraticum, & Monarchicum. I. 2. Romani se omnium rerum honestarum formam normamque in orbis totius conspectu crediderunt. IV. 15.

Romanus Populus, Armorum magis, quam Artium satagens, anno-na facile eguit. XI. 2. Libertatem semper affectans, ingenio fuit im-mitti, inquieto, rerum novarum cup-idissimo: unde Donis & Liberali-tate placari, Ludis & spectaculis di-strahi debuit, ne seditiones cogitaret. XI. 2.

S.

Sacerdotes quoscunque constituendi po-tes-tas Augusto facta a Senatu; ab eo libenter accepta, & exercita, ut Sa-crorum potirentur Imperatores. VII. 8. *Sacerdotii index securis*, qua vi-timæ cædi solebant. II. 7.

Salutis imago. XXIV. 3.

Sapientia quid sit? Apud Deum mune-ra prudentiæ peragit. Ejus Symbola eadem, quæ Palladis. V. 2. 3. 9.

Sceptrum Ducale, Potestatis index, non recte videtur dici Parazonium. III. 3. IV. 2.

Securis index Religionis, & Sacerdo-tii. II. 7.

Securitas quid? Ejus imagines. III. 10.

Segesta oppidum Siciliæ: ejus ortus & nominis origo. IV. 11.

Senatus apud Quirites dictus a *Seniori-bus*, constabat ex Patribus, quorum erat, Reipublicæ consulere. Filii di-cti *Juventus*, quam decuit pro Pa-tria pugnare. VII. 3. *Senatus & Sena-torius Ordo Romanæ distinctus.* 4.

Servire est vim pati, ex quo omnes natura liberi sumus. Donis ergo im-perandum, ne nimis invite servia-tur. XI. 1.

Severus Septim. filios suos tenere dili-gens, omnes Dignitates, & prero-gativas, exemplo quorumvis Ante-cessorum, in eos contulit. VIII. 7. *Moaiens Pop.* Romano septem an-norum canonem frumenti nimirum in plebem, distribuendi reliquit. XII. 10. In milites admodum liberalis fuit. XIII. 5.

Ludos saeculares fecit *Herculem & Bacchum* præcipue coluit, proque Diis auspiciis habuit, & Templum eisdem condidit. XIX. 4. sumptuo-sissimam Venationem dedit, rediens a Victoriis, & expleto imperii De-cennio, XIX. 9.

Sestertius numum unicum, Sestertium mille numos indicat, novies v. e. ad-ditum toties centena millia. XV. 11.

Severi i. e. Sex Turmarum Equestri-um totidem Ductores. VIII. 6.

Signa Romana a Parthis capta, & ul-tro restituta, tantam Augusto, quan-tam maxima Victoria Gloriam, læ-titiamque peperere. II. 11. Signo-rum Militarium apud Romanos sum-ma Religio & dignitas. VIII. 9. Eis Dextræ impositæ fidei testandæ cau-sa. Ipsa signa in numis fidem mili-tum innunt. X. 9. In numis, qui liberalitatem Augustam exhibent, de-notant, eam militibus impensam: in numis coloniarum, Colonos fuisse milites. XIV. 4.

INDEX ALTER.

Silices dicebantur tabulæ lapideæ, quibus Viæ Romanæ sternebantur, & muniebantur, etsi e silice non essent. XXI. 6.

Simpulus quid? VII. 7.

Spes inter tristitia mulcet. Ejus imagines. Eadem mythologicae, & moraliter expendantur. Anchora, ut hodie, spes olim non tributa. In Græcis numis ΕΛΠΙΣ dicitur. III. 12. 14.

Spicae sunt Annonæ, Concordiæ, Felicitatis symbolum. IX. 5.

Stella & Lunula parva in numis ævi Constantiniani videntur designare Constantinopolim. XII. 3.

Sulla Græcis Asiæ imperavit, ut quinque Annorum Debita vetera illico exolverent. XV. 9.

T.

Tabella in manu Liberalitatis est titulus æneus, in quo panis modus, & recipientis nomen incisa. XII. 4.

Tædæ, i. e. thorus nuptialis, & Regnum, focium non ferunt. IX. 1.

Telluris Deæ imago. XXIV. 7.

Testudo a Virtute calcata quid innuat? IV. 4.

Theatra, in quibus Congiaria dispensata, cum Gradibus in numis. XIII. 1. seqq.

Theoclia filia Mamææ, vel Alexandri Severi. IX. 10. 11.

Theodora Flav. Maximiana Uxor altera Constantii Chlori. IV. 15.

Theodosius M. frumenta plebi munifice procuravit. XII. 3.

Theodosius jun. subditis 60. annorum debita vetera remisit. XV. 9.

Theogones Astrologus Augusto, & Agrippæ magna præfagit. II. 8.

Thyrus baculus foliis vitis obvolucus in manu Bacchi. XIX. 3.

Tiberis fluvii imago, ut videtur. XIX. 1. XX. 5.

Tiberii Imp. vitia, maximæ crudelitatis. VI. 3. Pythodori Thracum Reginæ Justitiam administravit adversus Rhescuporidem, mariti ejus Coctys interfectorem. 4.

Secutus laudem Clementiæ, studuit quoque Moderationi, quamdiu vixit, Germanicus: a quo sibi de Imperio simuit. Utrique virtuti scuta aurea in Capitolio suspendit. VI. 9. 10. 11.

Non statuit Centesimam Auctionum Italiæ, ut perperam *Dio*, sed Ducentesimam. XV. 3. Aliquibus Asiæ civitatibus Debita vetera ad tempus remisit. 8. Tametsi alias non multum sublevaret provincias, duodecim tamen, aut omnino quatuordecim Civitates Asiæ minoris, subito terræ motu disjectas restituit. XX. 4.

Initio imperii speciem quamdam Libertatis Reipublicæ induxit: mox vero tyrannide denuo evertit. XXII. 5.

Tibiæ in sacris semper adhibitæ: quales? lævæ aliæ, aliæ dextræ. Tibicines optimi, qui utrisque simul inflare noverant. Discrimen veterum a novis. XIX. 2.

Tigris maculosa bestia, cælum stellatum referens, Baccho sacra. XIX. 3.

Titi Imp. laus. III. 5. 8. Quam pius in fratrem Domitianum. IV. 14. Teste numo videtur exstruxisse Metam sudantem: quæ quidem Domitiano adscribitur. XXI. 12.

Trajani tempore Romæ Abundantia maxima, ut etiam Ægypto laboranti succurreretur. Reperit is & firmavit Pistorum collegium. XII. 7. Parvulis Alimenta in tota Italia constituit: ut cum taliter alitis publico sumtu parvulis civibus cresceret amor patriæ. XIV. 8.

Pontem super Danubium erexit: qui tamen non est in numo ejus, sed


INDEX ALTER.


- Portus Anconitanus. Erexit & Pa-
leopoli Portum, dictum Centum-
cellas. X. 9. 10. 11.
- Non videtur Viam Appiam munivif-
se, sed novam intrasse intra Urbem,
de qua numus: Via Traiana. Alias
vero in Hispania, & Italia vias plu-
res munivic XXI. 3. 4. 5.
- Aquæ Marciaë partem derivavit in
Aventinum, inque domum suam,
& loca vicina. Alium Aquæductum
fecit in Hispania. XXI. 11.
- Tranquillitas in numis laudata, Redu-
cenda ad Moderationem, vel Con-
stantiam. VI. 14.
- Tributa, & Vestigalia æqua, si Prin-
ceps stateram non transiliat. XV. 1.
- Troiaë Ludus qualis? Unde Ortus?
quomodo Romam venerit? quis
ejus finis? VIII. 3. 4.
- Trossulus apud Græcos veteres dictus
Eques. VIII. 6.
- Typhæus Gygas sub Ætna sepultus.
IV. 12.
- Typographorum incuria. XII. 1.
- V.
- Valentinianus III. subditis omnium su-
periorum temporum Debita reliqua
in omni genere remisit. XV. 10.
- Valeriani jun. Historia incerta. VIII.
10.
- Uberitas pro Ubertas affluentem, &
sæpe repetitam procurationem, aut
dispensationem frumenti indicat.
Ejus imago. XII. 5.
- Vestigalia æqua, si moderata. Imposi-
ta non laudantur in numis, bene
vero remissa. XV. 1.
- Vehiculatio, & Cursus publicus grave
subditorum onus. Ejus origo, mo-
dus, & variæ Principum moderatio-
nes. XVI. 1. 2. 3.
- Venatio certum Ludorum genus maxi-
mi sumtus, cum mansuetis ferisque
animalibus. Alia ludicra, alia eru-
enta. Posteriores laudat Plinius,
carpit Cicero. A quibus primum
facta? XVII. 3-7. Venatio exhibi-
ta. XIX. 5-9.
- Venus Amorum dea adhibita pro typo
Pulchritudinis in numis Augusta-
rum, cum Epithetis: *Cælestis*: *Fel-
lix*: *Genitrix*: *Victrix*: XXIII. 7.
8. 9. Ejus imagines. *Ib.* & XXIV.
4.
- Verus Luc. cum M. Aurelio gessit
commune, & summe concursus im-
perium. IX. 3.
- Vespasianus templum Pacis extruxit.
III. 3. Filios suos Cæsares dixit.
VIII. 1. Avaritiæ insimulatus, &
excusatus. XV. 1.
- Vesta, aut Vestalis, in numis Nuptia-
libus. Ejus imago, & templum. Fa-
bula illis incerta. Ignis sacer erat,
& Imperii Custos Flamma. XXIII.
2. XXIV. 1.
- Viarum Refectio ad opera Publica, &
Curam Principum attinet. Ejus pro-
prium nomen Munitio. XX. 3. Viæ
imago cum rota, & fronde viren-
te. Viæ strata, & munita quid dif-
ferant? Quam operose fierent, &
qualiter ornata. XXI. 5. 6. 7. Ap-
pia Via solidissima, & Regina Via-
rum. XXI. 3. Flaminiam refecit Au-
gustus. *Ibid.*
- Vibilia Dea liberans ab errore Viarum.
XXI. 2.
- Victoriæ imago. IX. 7.
- Virtus Augusta, & Virtus Augusti ali-
quibus differre videantur? III. 9.
In numis descripta Virtus plerum-
que sumitur pro Fortitudine Bellica:
sumi vero etiam possit pro Virtute
in genere. Quid hæc? Arduitas vir-
tutis

INDEX ALTER.

- tutis foris apparet, non pulchritudo: unde nomen ejus multis terribile. Absque fide Virtus nulla vera. Sola hominum reddit felicem. IV. 1. Ejus imagines expenduntur. 2. 3. 4. Virtutes cur faminarum habitu pingantur? VI. 5. Virtus ad quam quis natura comparatur, solidior, ac illa, ad quam disciplina compellit. IV. 16.
- Vitellii* Imp. numi plurimarum Virtutum vanas laudes exhibent. III. II.
- Vitellius* Luc. pater Imperatoris, meruit elogium, Statuæ suæ subscriptum: *Pietatis immobilis erga Principem.* IV. 13.
- Vitis* Centurionum signum. IV. 2.
- Ulpiani* puelli puellæque. XIV. 8.
- Urbanus* Canon quid? XII. 3.
- Urnâ* in numis, qui Ludos maxime Græcos laudant, quid denotet? XVIII. 6.
- Vota* Quinquennalia, Decennalia, cum Sacris, & Ludis Conjuncta, quare nuncupata, & soluta? XVIII. 9.







8

